DE REGNO CHRISTI
AC DE OFFICIIS
PRINCIPUM CHRISTIANORUM,
SERMO APOLOGETICUS
AB EPISCOPO DIONYSIÆ MELCHIORE KOCHNOVIO.
Ad recolligendos veteres & modernos Naturalistas, cum annexis sparsim Observationibus in Dogmata Juris Ecclesiastici recenter à PAULO JOSEPHO RIEGGERIO Vindobonæ vulgata,

FACTUS

Anno Incarnationis Dominicæ 1778.

LUBLINI

Typis S. R. M. PP. O. SSS. T. R. C. MDCCLXXXV.

IMPRIMATUR.

Datur facultas Die 13. 8bris 1784. Anno

VINCENTIUS JEZIERSKI

Uque J. D. Scholasticus Cathedralis Camenecensis, Judex Surrogatus Lublinensis.

mpr.

CELSISSIMO PRINCIPI
EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

MICHAELI GEORGIO

De Stemmate Vitelliorum

PONIATOWSKI

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, PRIMATI, PRIMOQUE PRINCIPI REGNI POLONIÆ, & MAGNI DUCATUS LIT.

CELSISSIME PRINCEPS.

Divina post Throni Majestatem inauguratio TUI *ad supremum in hoc Regno Catholico Primatiale Fastigium, meretur omnino Sacrîs perennibûsque celebrari fastîs. Ideo Opus hoc de Regno Christi, & Officio Principis Christiani, collectum: solisque Juribûs Divinis, revelatis, ac Evangelicis redundans, nulli convenientiùs dicari substernique valet: quàm excelso Præsidio, Authoritati, atque de æviterna memoria promerito Nomini* CELSITUDINIS TUÆ; *ut scilicet de veritate Sermonis Apologetici Primus judicium altum ex Throno* TUO *Primatiali justumque proferas: necnon Regno DEI ad Terras appropinquato, sub*

immortalitate Domus TUÆ *Regibus & Principibus Jagellonicis conjunctæ, ac sub Meritis & Operibus* TUIS *præclarissimis, momenta durationis ampliationisque ad Gentes doctrinis confusas, maximè tribuas.*

Equidem memorabile TUUM *in Episcopatu Plocensi Apostolicumque Regimen, providentissima* TUA *in Diœcesi Cracoviensi Gubernatio, operosissima in Sacris Civilibusque Literis propagandis allaboratio, peraugusta insuper Majestaticorum Officiorum intra hoc Patrium Regnum comparticipatio, & supportatio, nedum hujus Reipublicæ Polonæ, ast universæ Europæ Publicum convincunt: quod non oporteat alium supra* TE *quærere Regium Principem, qui esset Religiosissimus inter Apostolatum DEI, & apostolatum naturalisantium hominum Discretor, qui Pacem Ecclesiæ sine gladio stabiliret, qui Regnum DEI per Regna Terrarum firmiùs extenderet, qui summum Pastoratum pro Christo, ejusque Vicario universali fortiùs tueretur, qui Juribus revelatis jura naturæ fideliùs invisceraret, Sceptrumque Aaronicum ex Lege,* Num. 18. 1. *cum Virgis Tribuum, & Sceptris Gentium digniùs conferret, associaretque in potestate Altissimi, atque colluctantibus spiritibus diceret verbum Ducale:* Quis ut Deus?

Interea Virtus Altissimi ut præelectam CELSITUDINEM VESTRAM, *in Ducatu Hierarchiæ Ecclesiasticæ pro gloria sua diutissimè conservet, Author Operis enixè precatur: salutemque, reverentiam, & obsequium debitum* CELSITUDINI TUÆ *de longè dicit. Diebûs Martii Anno Domini* MDCCLXXXV.

E. D. S. CH.
mpr.

DIVISIO OPERIS.

OPus hoc continet tres Partes. *Prima* Contradictiones Dogmatum, & præliminaria Juris Naturæ breviter oſtendet. *Secunda* De Regno Chriſti, ejusque natura & poteſtate in Eccleſia ſpeciales Leges ſummariè introducet. *Tertia* De Officiis Principum Chriſtianorum, atque de Legibus antiquis & novis ad Civitates à DEO porrectis, promiſcuè ſonabit. Unaquæquè Pars, in Capita ſua, & hæc in Paragraphos Articulosque ſuos diſpartita, cum annexis Obſervationibus adversùs Naturaliſtas habebuntur. Totus autem Sermo Apologeticus ſolis juribus à conſtitutione mundi revelatis inſiſtet, ad eum finem, ut cognoſcant Naturaliſtæ, quomodo de iisdem Juribus ſit nobis in Eccleſia Regni DEI ſentiendum, & in Civitate parendum?

ARGUMENTUM

Ad Sacros Europæ Principes, Spirituales, & Civiles.

CUm mihi indigno DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopatus auxiliaris in Partibus Arabiæ Petreæ obtigisset à triennio: Atque cùm vidissem in animo meo illas primordiales Gentes naturaliter cum suis Principibus quærere DEUM, naturaliter tamen Eum non posse in veritate salutis & pacis invenire; stupens quæsivi apud me: ,, Ubinam gentium vera Lex & Religio ,, Noachitica moratur? Ubinam partium mundi vera hominum justitia, & fe- ,, licitas regnat? Ubinam illa *Recta Ratio*, quæ in classico est Principum Orbis ,, ac populi, veram consensionem in Lege naturæ tenet? ,,

Quando etenim Principes, signanter Orientis & Austri, naturalibus quidem & humanis Noachitarum revelationibus traditionibusque acsi inhærentes, dissidium Rationis inter se amant: Quando in Sacris & Civilibus difformitatem arbitrariè sectantur, adeò: ut alii Confucianis, alii Phocianis, alii Mahumetanis, alii Arianis, alii Pseudo-Christianis & Apostaticis Philosophorum doctrinis, credant, adhæreant, imo & populos suos ad sic & non aliter credendum vivendumque diversimodè subjiciant:

Illico adverti, Regnum naturæ humanæ perpetuò æmulari & litigare cum Regno DEI revelato, ac Rectores ipsos mundi ampliùs in sua primæva uniformique Noachitarum ratione non stare. Imo veriùs didici Regnum Naturæ, in suas Anarchias & prædominia potestatum planè dispartitum & dissipatum esse: cùm tot naturas æmulas, quot Regiones; quot Regiones tot genios; quot genios tot rationes Legis; quot rationes, tot sensus & formas regiminis; quot formas regiminis, tot discordias animorum & voluntatum in Societatibus humanis dominari admiratus sum!

Quæsivi rursus inter Societates naturæ, ,, Ubinam vera Imago DEI? ,, ubi lumen uniforme intellectûs? Ubi porro naturalis Unitas Spiritus & car- ,, nis, atque Fraternitas illa Adamitica & Noachitica locum condilectionis ,, retinet? ,, Percepi quippe, quomodo naturalis fraternitas & amor erga DEUM ac proximum solis individuis magistraticè inculcatur ac vindicatur: Societates verò civiles & publicæ, ab hoc vinculo communi ad invicem solutæ sunt, gloriamque suam Gens contra Gentem ponit in eo, ut fortior civitas debiliorem spernat, sibi subjiciat, aut ponat sub tributo, talique exemplô, etiam individua Civium, ad solutionem vinculi socialis abripiuntur, ac DEI imperium contemnunt.

Exinde ad duplicem sequelam perveni: Una est: Quoniam Imago primitiva hominis sic deformata est: Igitur regnum naturæ inter Gentes, & Anarchicas mundi Potestates dissipatum manere liquet, ipsam ver Legem &

Reli-

Religionem naturæ, exulem, vagam, & indeterminatam omnino defeciſſe in terris conſtat. Quoniam de horum naturalium certitudine & ratione univerſali, deqúe eorum veritate & juſtitia uniformi, tam in credendo & ſciendo, quàm in agendo minimè aliquid Naturaliſtæ probare poſſunt, ſicut nec aliquando, exclusa Regni DEI revelatione, viribûs ſuìs humanîs identicè comprobârunt.

Alteram ſequelam ſubintuli: Ergo Author naturæ & Miſerator DEUS hominem liberum, & ad animalica pronum, aberrantemque à recta & uniformi ratione mentis, neceſſariò & ſalubriter decrevit ab origine Legibus ſuis Theocraticis ac beneficis ſubjici, Cœleſtibus imperiis ſcilicet revelationibûs Paternè gubernari; donec tandem in Reparatore naturæ corruptæ JESU Chriſto, Regnum ſuum immutabile, quod ab homine animaliſante deſpiciebatur, gratiosè manifeſtâſset, tanquam Rationem ſuam & Normam univerſalem dominandi in Gentibus, & adunandi per fœdera Cæleſtia Societates terræ.

Cum denique convertiſſem oculos mentis versûs Occidentem & Aquilonem: deprehendi, Principes Sacri, Europam veſtram verè Pro-Evam Matrem ſalutis Gentium deſignatam eſſe, quam DEUS velut alteram Terram Sanctam præelegit, ſanctificavit, & in ſedem Regni Chriſti ſui revelati ſubſtituit: ut hæc Pars minima Terræ, fieret ſub Præſidio veſtro Princeps, Dux, & Apoſtolus Catholicus ac fortis ad cæteras Orbis Partes.

Quid eſt tamen? dolens exclamavi! Quòd locô ſocialis conſenſionis in uniformitatem pacifici Regni DEI, & in Apoſtolatum Regis Chriſti, tota quaſi maſsa Regionum Europæ fermentat in diviſione & æmulatione juris acsi naturæ cum jure revelato? Sed mox percepi ex obviis innumerisque Libris ac doctrinis Politicorum & Philoſophorum naturalium, curiosè & impune vulgatis, quia hi ſunt, qui conſcientiam Principum ſpiritualem & civilem graviter percutiunt, diſtrahunt, & ſeducunt. Et, ne dicam, quia bellum vetus, quod eſt à dæmone in Paradiso contra Præcepta DEI revelata adinventum, audacter reſuſcitant, & conſcientiis principantibus indicunt.

Equidem primus erat ille princeps tenebrarum, qui ſe pro lege & libertate Proto-Parentum effrenata, & acsi naturali contra expreſſum præceptum DEI falsò oppoſuit, dicens Gen: c. 3. per tot. *Cur præcepit vobis Dominus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? Nequaquam morte moriemini, ſcit enim DEUS, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum.* Prævaluit quidem in Proto-Parentibus illis major fides erga fictam revelationem dæmonis, quàm erga infallibilem revelationem Creatoris. Uterque tamen Socius & Conſcius, videlicet tam Revelator Deitatis falſus in pomo vetito, quàm Appetitor Deitatis cupidus in esu vetito pœnis ſuccubuerunt. Præceptum autem revelatum ab initio prævaluit in anima & corpore hominis illius, ad mortem & exilium generis humani.

Hi & ſimiles ſunt Naturaliſtarum noſtrorum aſtus, atque blandimenta: quoniam ſpeciem rectæ rationis & libertatem conſcientiæ induunt, induti per ſceptra Chriſtiana ſerpunt, jus verò naturæ, quod in ſe ipſis nec viderunt, nec

 cogno-

cognoverunt, Majeſtatibus principantibus revelant, eoque adulationis hamo aſsotiationem Regnorum terræ cum Regno Chriſti altiſſimo impediunt, necnon fructum animarum gentilium & infidelium, ab Ejus Eccleſia Apoſtolica, vel arcent, vel pœnitus auferunt.

Idcirco amore ſolius juſtitiæ & pacis abreptus hunc Sermonem de Regno Chriſti, & Officiis Regnantium Chriſtianicis inſtituendum eſſe in Domino, ſub Veſtris præſidiis & auſpiciis duxi, non animô novitatis & vanitatis gloriæ (teſtes cœlos appello) ad hæc dicenda vulgandaque inducor, aſt ſpiritu veritatis & Scripturarum, à quibus vera gloria & ſanctitas officii in omnes Poteſtates DEI unicè derivatur, permoveor.

Hinc unicum Patrocinium ab utraque Authoritate Sacra & Civili humiliter invoco; ne intentum meum ſimplex, de nimia audacia & phanatiſmo argui coram vobis patiamini. Alterum verò Naturaliſtæ. etiam Joſephus Paulus Rieggerius aliunde Vir juris peritus mihi ignoſcant obſecro: si ad illorum ſingula Raciocinia ſcholaſticè, & ex æquo non ſatisfaciam. Catechiſare enim de Legibus ex Legibus ſolius DEI vocatum me miniſtrum in Regno Chriſti ſentio.

Lex utique Providentiæ DEI, & Lex providentiæ mortalium hucusque de neceſſitate & juſtitia ſua novas controverſias ad invicem movent, ac pacem indefinitam pro ſe in Scholis terrenis audiunt. Lites verò inter Poteſtatem Legis ſacram, & inter poteſtatem Legis civilem pro libitu & pruritu Philoſophicarum mentium adeò invaleſcunt. ut præ confuſione Sapientum hujus mundi, difficile ſit cognoſcere: An Regnum DEI pacificum, an verò regnum naturæ lapsæ inquietum jus ſummum teneat dominandi in ſocietate hominum? Attamen

Quam primùm notorium eſt Nobis Catholicis, quòd DEUS paciſcens ab initio cum homine lapso, definivit in promiſſo ſuo Rege Regum Chriſto, & verbo, & exemplo, & opere, quale jus, qualisve, & quanta poteſtas eſſe debeat in partem hominis ſpiritualem & ſuperiorem: Simulque demonſtravit, quale jus, qualisve, & quanta poteſtas neceſsaria concomitanter sit in partem ejusdem hominis corporalem & inferiorem:

Igitur omnis conceptio mentis, omnis cogitatio & combinatio voluntatum naturalium, ſicut in jure ſtatuendo regulam partialem. affectatam, & inſtabilem redolet; ita Schola juris naturæ, ejusque contentiones gentiles procul eſſe à nobis merentur: Poſtquam Supremus Cœli & terræ Legislator pro Eccleſia & Civitate Fidelium ſuorum dirigenda abundè declaravit: Quòd: *Porro unum neceſſariùm: audire verbum DEI, & cuſtodire illud. Quærere primùm Regnum DEI, & juſtitiam ejus.*

AD

AD LECTOREM CHRISTIANUM.

NOli mirari in hoc Sermone, Christiane Lector, si aliquando de Regno Christi, & Officio Principis Christiani occurrerunt tibi diversi antiquioresque (à quibus longè recessi) Scriptores & Eruditores, novus autem & discrepans sermo hic tibi offertur ad legendum.

Quidam etenim ex illis Eruditoribus Spiritum Christi cum spiritu terreno acsi ad desiderabilem concordiam jurium involverunt, taliterque veritatem Legis æternæ in lege hominum quasi naturali fundare & stabilire intendentes, fecerunt superbire usque nunc scientiam mundi, ut se mundus in ratione luminis naturæ priorem præstantioremque omnibus revelationum DEI magisteriîs sentiret: Revelata verò tanquam accessoria, repugnantia, societatique civili minùs utilia, à se rejiceret & condemnaret.

Quandoquidem & Philosophi temporales, & Jurisconsulti civiles pro jure naturæ hominis positivo ex quodam innatæ Rationis libro decertant: Quando, inquam, Politici de Polo stabili conversantes instabiliter pro felicitate humana pugnant cum Lege DEI: Evidens sit tibi argumentum, quòd hi, & illi nunquam fuerunt aut sunt veri Apostoli naturæ, veri Prophetæ cogitationum humanarum, veri Comprehensores imaginis hominum, aut interpretes voluntatum; verumtamen fuerunt & sunt meri Tentatores & Conjectatores naturalium secretorum, meri Opinatores & Quæstores Scholares Rationis Civilis rectæ, adeoquè meri Arioli felicitatis temporalis.

Si

Si jus à jubendo eſt, illud utique prioritatem & præſtantiam naturalem jus obtinere debet, quod habet priorem & præſtantiorem pro ſe Juſſorem & Conditorem. Nemo enim ſanus Juriſconſultor, aut Philoſophus dicere potest, quòd in statu & ordine regiminis & ſubjectionis Lex naturæ obedientialis præſtantior ſit, ſupra legem naturæ imperantis; nec quisquam ſuper rivulis diſperſis, fundat & erigit fontem, ſed rivulos diſperſos colligit & ponit ſuper fonte. Neque credibile eſt apud Chriſtianos, quòd aliquando humanitas aſſumpserit ſibi Divinitatem ad ſuſtinendum & regendum, in lege; ſed è contra Divinitas aſſumpſit humanitatem ad gubernandum in lege juſtitiæ.

Cum denique omnes humanæ leges vim & authoritatem ſuam ab initio ſtabilem, neque ex ſide & teſtimonio ipſius Creatoris, neque ex teſtimonio & conſenſione Adæ primi, aut Noë Patris, aut aliorum juſtorum generis humani Patriarcharum in civitate pro ſe comprobant: Sicut Lex revelata authoritatem ſuam ſtabilem, miraculîsque Divinis canonizatam & obſirmatam ſemper probaverat, poſſederat, & ſirmiter poſſidet.

Quamobrem, non me judicet Chriſtianus Princeps & Lector alienum à recta ratione ſociali, ſi in hoc opere Opiniones juris, Traditiones, & doctrinas indeſinitas rixantium Legiſtarum derelinquo, propter Authentica deſinita ac ſuprema Mandata & fœdera Authoris Reparatoriſque naturæ, quibus ſolis innititur Regnum Chriſti, atque pōteſtas & gloria Regnantium in Eccleſia & Civitate ſirmiter ſtabilitur.

Enimverò, ſi ſpiritus Angelorum rationalis ad Miniſterium DEI creatus, ab origine libertatis ſuæ abusæ factus eſt ſervus & miniſter tenebrarum ob ſiduciam præſtantiæ ſuæ naturali.

turali.

turali: multò magis homo paulò minor ab Angelis Rationi ſuæ tanquam Legi cuidam dominanti & independenti in miniſterio ſuo coram DEO, fidere & adhærere nequit, nisi forſan se ſocium Angeli prævaricatoris fateri & reddere cupiat.

Scholam inſuper Physicam, quæ eſt juris naturæ animalici appello! Lex naturæ ſeminalis, Lex piſcium, brutorum, & plantarum prior est in ordine creationis, ſupra Legem homini impreſſam, juxta teſtimonium Hiſtoriæ Sacræ; Lex tamen hominis his imperans ex dignitate priorem & præſtantiorem claſſem poſſidet, quàm lex obedientiæ brutalis, atque homo jus dominii ſui ipſis ſecundùm velle ſuum declarat & imponit, non obſtante eorum libertate animalica.

Habemus verò præ oculis physicos miniſtros DEI priores, potentiores, & ſtabiliores, ſupra omnem rationem hominis philoſophantis: videlicet: Solem, Lunam, Aſtra, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram: Elingves hi miniſtri parent, utiliùs cæterum nobis philoſophantur, virtutibûs ac vocibûs obſequiorum ſuorum, quibus commodo Universi ac bono noſtro temporali & civili Nomine Creatoris inſerviunt.

Quinimo nobîs inſciis & non ſperantibus, ſæpenumero illi pro parte altiſſimi Dominantis, miniſteriô ſuo physico corripiunt & affligunt nos noſtramque libertatem, quod tamen Philoſophi noſtri in Legem naturæ converterunt, ut non DEUM regnare nobis ſpiritualiter & corporaliter, ſed naturam quandam proponerent. Nondumque hi Philoſophi ſunt perſuasi, quòd prædicti Miniſtri Univerſales Legem nativitatis pro se non habeant, aſt Legibus creationis ſuæ, & officiis pendentibus à ſupremo ſuo Motore inſiſtunt, & obſequuntur, ut rectiùs dicantur Miniſtri à DEO, & non à ſua natura.

Pariter

*Pariter itaque & spiritus noster, ad morales & physicas operationes in corpore creatus est, non autem de semine naturæ natus. Minister ille est corporis immediatè à DEO, non verò ab aliqua natura elementari positus. Idcirco jus & officium ejus directè & præprimis à Legibus Regni DEI & Ejus Christi revelati petendum & exquirendum pro Principibus venit. Nam & illud lumen rationis humanæ, quod pro lege sumitur, cum sit lumen rationis ministeriale, & participatum à Creatore, jam nequit esse independens, illimitatum, & absolutum, quin ministerium suum teneat fundatum in Voluntate suprema Patris Luminum & Dominatoris, subjiciatque lumen suum obedientiale illi Patri Cælesti, quem omnes filij honorare cogitatione, verbo, & opere in Christo obligantur, ut sancti*ficetur Nomen Ejus, fiatque voluntas Ejus sicut in Cœlo & in terra, *& non jam voluntas legis nostræ. Vale.*

PARS

PARS PRIMA

SERMONIS APOLOGETICI

De Regno Christi, & Officiis Principum In Eo.

CAPUT I.

De Contradictionibus Naturalistarum.

§ I.

Referuntur summariè Dogmata vulgata ab erudito *Josepho Paulo Rieggerio* in Libris Collectionis Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ. *Part. 1. c. II.* §. *xv. & seq. De religione & Ecclesia naturali.*

1. Ex cultûs determinatione oritur Religio naturalis.
2. Atque hic sola ratione, acquisita Divinitatis notione, determinatus DEUM colendi modus, Religio naturalis strictissimè dicitur.
3. Cujus substantialia in sciendis & agendis, accidentalia consistunt in actionibus diversis.
4. Potestas Ecclesiastica naturaliter Majestati cohæret.
5. Et quidem posita Civitate, hoc ipso Ecclesiam eamque inæqualem poni necesse erit.
6. Ab ea tamen separari potest. §. *XVIII. Ibid.*

7. Poſsunt tamen paciſcentes, qui primi in Civitatem coëunt, de Eccleſia conſtituenda aliter inter se convenire.

8. Poterit enim Eccleſia, vel ut ſocietas æqualis, ab iis conſtitui, vel etiam alicui alii, præter ſummum Imperatorem, poteſtas Eccleſiaſtica conferri.

9. At jus circa Sacra à Majeſtate divelli repugnat. Illius ſemper erit Officium, ut ſubſtantialia Religionis tueatur & defendat tanquam Reipublicæ vincula. Ea verò modîs omnibus impediat, quæ à Poteſtate Eccleſiaſtica noviter conſtituta, ſaluti Civitatis obeſſe viderit.

10. Qua enim ratione Eccleſia, arbitrarias ſuas ſanctiones urgere poterit, quas ſupremum imperantis Civilis judicium, bono communi repugnare declaravit?

OBSERVATIO.

REx David revelatus clamavit in ſpiritu pro Chriſto ad Dominum Psalm: 17. *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in Caput Gentium.* Et poſtquam Chriſtus Rex jam omnem ſuſtinuit ab initio Adæ cœptam contradictionem populi, & factus eſt in Veteri & Novo Teſtamento Caput Gentium, & Caput Eccleſiæ revelatum: Ideo evanuit tempus & neceſſitas naturaliſandi de DEO & Religione, abſorpta eſt Lex naturæ per Incarnationem, inviſcerata eſt & translata ad Volumina fœderum DEI cum hominibus. Non indigent de cætero Chriſtiani duplicitate cordis & Religionis: non indigent duplici Eccleſia & Altari, non indigent planè & lege duplicata pro uniformi regimine civitatis, ſub uno Capite Gentium Salvatore repoſiti.

Quando autem & Seneca conſcius Legum Judaicarum inſurrexerat adverſùs naturaliſtas dicens Libr. de Beneficiis: *Quid aliud eſt natura, quàm DEUS & Divina ratio toti mundo Patribusque Avis inſerta? Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas DEO debere ſed naturæ, quia nihil natura ſine DEO eſt.* Non abs re duco, ut in ſolo amore DEI & proximi adverſùs prædicta Rieggeriana dogmata aliquid proferam. Idque

Ad 1mum. Author hic eximius, neque ſe Revelantistam determinatum, neque Naturaliſtam determinatum prodit: cui videtur Religio ſupernaturalis non ſufficere, ſed & Religio naturalis exlex, mentem illius pro Civitate exagitat.

Attamen viderit ille ſuam contradictionem vacillare: quia non cultûs determinatio Religionem parit, aſt è contra Religio parit determinationem cultûs. Quoniam ex proportione notionis Divinitatis, proportio Religionis oritur, poſthac ex proportione Religionis, determinatio cultûs ſtabilitur. Sicut perfectio hominis ex notione perfectionis DEI ſtatuitur. Math. 5. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.*

Ad 2dum. Quænam autem eſt Gens, quæ natio antiqua ſic inclyta, ut determinatum nobis, colendi DEUM, aut inſtituendi Religionem veram reliquiſſet & porrexiſset modum: cur Rieggerius non docet? Prima gens naturæ lapsæ, & natio illa in Adam, Cain & Abel, ſi cultum DEI exercebat in victimis & decimis ſuis: exercebatne naturali ratione, vel ex revelatione? Nonne illa gens proximè novit unum verum DEUM? imò audivit vocem Præceptorum Ejus, & ſcripſerat in corde ſuo: audivit approbationem & reprobationem à DEO operum Religionis juxta Geneſim, & mandavit memoriæ ſuæ. Credebant igitur illi & agebant ut immediati filii Revelationis ſibi coævæ: rationi verò ſuæ carnis innixi identidem aberrabant. Et quomodo illa Gens prima veram Religionem naturalem ſocietati humanæ inſtituere absque revelatione poterat?

Ad 3tium. Non habita certa & vera inſtitutione Religionis naturalis in Gentibus: quid ergo ejus aſserta ſubſtantialia conſtitiſse in ſciendo & agendo ab hoc Authore ſomniantur? quoniam neque ſcientia, neque operatio naturalis depuravit gentiles Dominantium mentes, & determinavit, ut relicto cultu falſorum Deorum, uni DEO vero Ejusque promiſso Chriſto adhæſisſent, & naturaliter obedivisſent.

Ad 4tum. Ideo Author falſam hanc conſequentiam intulit. *Quod poteſtas Eccleſiaſtica naturaliter Majeſtati cohæret.* Siquidem hæc nec primo Adæ, nec poſteris ejus dominantibus & errantibus,

viâ ſucceſſionis naturalis competebat. Etenim poteſtas iſta, Regni D E I poteſtas eſt, & non Regni naturæ.

Ad 5tum. Nonne Proto-parentibus noſtris primùm Eccleſia, & Religio obedientiæ præceptis D E I propoſita fuit; antequam illi ejecti de Paradiso aliquid de Civitate conſtituenda cogitârunt? Ideoque Eccleſia filiorum DEI prior & inæqualis eſt cum civitate filiorum carnis, ſicut latiùs infra de Regno DEI dicetur.

Ad 6tum, 7mum, 8vum. Non eſt arbitrii hominum ſeparare Regnum DEI, à regimine civili, aut de inæqualitate & æqualitate eorum paciſci. Nunquam enim DEUS abrenuntiavit Regno ſuo univerſali favore partialis imperii civitatis, aſt illud ſemper & ubique acriter propugnabat, per filios revelationi fideles & miniſtros Eccleſiæ electæ adversùs civitates naturales, (prout demonſtrabitur infra) ut Cives DEI non arbitrarentur pro libitu de DEO ſuo, ſed crederent Revelanti & Revelatoribus ab Eo miſsis: qualiter coli, deprecari, & placari velit.

Ad 9num. Jus circa Sacra quando purè Divinum eſt, jam nulli Majeſtati civili congenitum eſse credi poteſt, nisi ſoli unigenito DEI Filio JESU Christo, tanquam Redemptori & Reparatori naturæ lapsæ, atque Ejus Miniſtris, qui ad exercendum diſpenſandumque tale jus ſpecialiter vocati & adoptati ſunt.

Hinc ſi Author Officium Majeſtatis civilis ponit in tuendis ſubſtantialibus Religionis: cujusnam, quæso, Religionis, an naturalis prætensæ? an vero Revelatæ? Una enim ex his imaginaria, altera vera & poſitiva eſse debet: qùia Religio Japponenſis & Religio Chriſtiana repugnant ſibi, & una earum divelli à Majeſtate ejusque advocatia poteſt, ut abortiva.

Deinde: quænam ſunt obſecro ſubſtantialia Religionis Chriſtianæ? Nonne credendi & agendi, juxta eundem Authorem? Itaque ſi Majeſtates noſtræ abjecta Religione Japponensi, ſecutæ ſunt Religionem Chriſti & Eccleſiam revelatam, jam conſecutivè erit primum & ſubſtantiale earundem Officium credere ac ſequi Legem vitæ & diſciplinæ revelatæ ad exemplum populi, non verò impedire.

Qui enim ex ovibus eſt & impedit, non defenſorem ſed oppugnatorem Eccleſiæ Chriſti publicum agit: & tantò magis ſcandalizat, quantò in facie populi non deductis erroribûs Eccleſiam ſuam Spiritu DEI gubernatam pro fallibili privataque Magiſtra judicat.

Sed Author hic Officium Majeſtaticum ſtatuit in impediendis illis, quæ *noviter conſtituta & repugnantia ſaluti Civium ſunt tantùm*, ℟. Utinam ille curet in Majeſtatibus & Poteſtatibus defenſionem Civium in eo ſubſtantiali: quatenus mundus deſiſtat à novitatibus peccandi, quatenus ceſſet aliquando eſſe novator jurium, Religionum, ſchiſmatum, doctrinarum, bellorum, caſuumque in ſocietate humana novorum ſuſcitator! Et ſic officium verius pro illis aſſignabit. Eccleſiaſticam autem poteſtatem à noviter conſtituendis legibus & diſciplinis, ipſumque Deum ab innovatione flagellorum in civitates eo ipſo impediet, & continebit, ut populum non urgeant ad pœnitentiam.

Ad 10mum. Quid ſaluti civium, & bono communi maximè repugnat? Nonne ſervitus peccati & mortis? nonne concupiſcentia carnalis? Ad hanc refrenandam ſi poteſtas Eccleſiaſtica innovat clamores Apoſtolicos *Rom: c. 6. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*: Si declarat contra Naturaliſtas veritatem Apoſtoli Pauli *Rom: c.* 8. 5. *Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui autem ſecundùm Spiritum ſunt: quæ ſunt Spiritûs ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem Spiritûs vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt DEO: legi enim DEI non eſt ſubjecta, nec enim potest. Qui autem in carne ſunt, DEO placere non poſſunt. Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundúm carnem vixeritis, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim Spiritu DEI aguntur, ii ſunt Filii DEI.*

Quid ergo ad hanc novam regulam Paulus Rieggerius in Eccleſia dicet? Sanctio ne eſt arbitraria, vel ex Spiritu Sancto? Eritne repugnans bono Civium, ſi urgeatur à poteſtate Eccleſiaſtica ad ſequendum, an ſalutaris? Supremum imperantis Civilis judicium eritne carnale, & prudentiæ carnalis, ut ea, quæ

ſunt

ſunt Spiritus vitæ & pacis cum DEO, declaret apud se pro repugnanti? vel etiam ea conſtituta ſpiritualia, quæ ſunt declaratoria Legum DEI, ut reſcindat à civitate, tanquam mortificativa factorum carnis?

§ II.

De Repugnantia ejusdem Authoris.

Idem Rieggerius Part: 1. c. iii. § xx. & ſeq: adduxit cauſas amplectendæ Religionis revelatæ.

1mò. Ex proclivitate hominis ad malum.

11. *2dò.* Ex ſtatu naturæ noſtræ corruptæ.

3tiò. Ex obſcura futuræ vitæ notione.

4tò. Ex ignorantia mediorum, DEI amicitiam reconciliandi.

OBSERVATIO.

QUód ſi natura hominis tantis defectibus ſubeſse notatur ab eodem Chriſtiani juris Collectore: Et quomodo ille theologiſando pro Civitate, Religionem ipsi naturalem, certam, ſanctam, infallibilem, DEO placentem, porrigere, aut ſtatuere civiliter poteſt?

Ulteriora tamen dogmata illius ſunt:

12. Enimvero Religio Naturalis poſitiva prior eſt. Atque cum leges contineat neceſſarias & immutabiles, per hanc tolli, aut immutari nunquam poteſt: (hoc eſt per Religionem revelatam.) *P. 1. c. iii. § ix.*

OBSERVATIO.

ET quisnam quæso ſtatuit Adamo & revelavit præceptum ſanctificandi Sabbatum? Natura? Non: Sed DEUS Creator, & Sanctificator dierum: ait Scriptura *Gen: c. 2. 3. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum: quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit DEUS ut faceret.* Ideo primus homo proſecutus eſt

cum

cum poſteris Actum talem primum Religionis, qualem à DEO didicit, & non á natura ſua.

Itaque doceat nos Author velim: In quonam Codice humano poſitivo, prætensa prioritas Religionis naturalis, aut immutabilitas ejus definita, ſervataque comprehenditur? Equidem Religionis naturalis principia in quonam conſiſtunt? Nonne in Redilectione, in Rehonoratione, & in Recognitione Creatoris ac Redemptoris? Quoniam hominem DEUS priùs dilexit, priùs beneficiîs & legibûs Paternis honorificavit, atque priùs cor & imaginem ejus per opera & mandata ſua revelata ad gratum animum prævenit, ac pertrahit ad ſuam ſocietatem.

Quis igitur illuminatus Religiosam naturæ creatæ regratificationem rectè priorem, Amatore, Honorificatore, Illuminatore & Conſervatore ſuo DEO in poſitione legis directivæ, aut in ratione cultûs religiosi anteponere poteſt? Ubi ergo Gratia & Leges beneficiales DEI, ſunt fons primus religionis, & quomodo rivuli participes in homine, pro primo & immutabili fonte ejusdem Religionis per Naturaliſtas ex nihilo naturæ educi aſſignarique valent? Aſt proſequitur Author.

13. Differentia Sacri & Civilis Imperii esſentialis aſſignatur in eo: Quia illud ad intellectum & voluntatem, à quibus omnis dependet religio, pertineat: hoc verò ad corpus & bona temporalia. *P. 1. § cxi. & ſeq.*

OBSERVATIO.

Primò. Hæc esſentialitas differentiæ inter imperia, externa & non indentica eſt. Nemo enim ſive ſacerdotaliter, ſive civiliter imperat, nisi ſpiritus intellectualis & ſuperior, ſuper ſpiritum ſubordinatum. Et nemo obedit cuivis imperio, nisi voluntas ſubdita, voluntati præpoſitæ, tam in ſacris, quàm temporalibus, prout fuſiùs inſra de Regno Chriſti demonſtrabitur.

14. Quia aliud in Civitate contingit, quæ viribûs phyſicis, nunc ſuſtinetur, nunc evertitur. *Ibid.*

15. Neque intellectus hominis, neque voluntas vi externa cogi poteſt. *Ibid.*

16. Omnia carnalia in neceſſitate ſunt poſita, non in voluntate, ſpiritualia autem in voluntate, non in neceſſitate: dicit Author *ibid.*

OBSERVATIO.

Secundò. Et quis Civitatem phyſicè evertit, vel ſuſtinet? Nonne Spiritus agens & voluntas cooperans in corpore, ſine quibus corpus hominis cadaver eſt?

Tertiò. Si intellectus & voluntas vi externa cogi non poteſt, ergo Civitas phyſicè everti aut defendi non poteſt: ergo gladius imperii & Leges Civiles, vim Legis coactivæ & executivæ vanam jactant & retinent.

Quartò. Et qua ratione religio ſive prætensa naturalis, ſive noſtra revelata, erit neceſſaria & immutabilis: ſi juxta hunc naturaliſtam, ſpiritualia non ſunt poſita in neceſſitate, ſed in voluntate, quæ mutatur? Deinde obedientia in præſtando tributo Civili eritne voluntaria? Si involuntaria, ergo non dicetur ex virtute obedientiali, ſed ex coactione imperii animalica.

Ulteriora dogmata Ejusdem.

17. De jure naturali *P. I. C. II.* §. *CLXIV. ait.* Quia jus naturæ immutabile eſt, & Leges ipſas, pro qua parte naturales ſunt, ſtabiles eſſe atque immutabiles oportet.

18. De religione autem defendenda, idem Author ibidem §. *CLXXIV.* aſſerit. Vera religio nonniſi una eſſe poteſt: Neceſſe igitur aleram diſſentientium partem, aut in errore verſari, aut certè propiùs ab illo abeſſe.

19. Tolerantia tamen Religionis diversæ non eſt omnino injuſta.

OBSERVATIO.

Ad 17mum. Quid eſt inter jura naturæ præſtantius, jure libertatis? qua nihilominus ratione hocce jus ſtabile eſſe poteſt, cum patria poteſtate, aut cum ſervitute civili? Si autem de jure Religionis naturalis immutabili ſermonem Author promovet: cur tacet, & exemplô non probat: Ubinam terrarum Reli-

gio naturalis, juſtum ſuum & immutabile exercitium de Lege naturæ ab extra tenet? Nonne & Chriſtus noſter legitima ac ſubſtantialia Religionis externæ immutavit, quando deſtruxit Sacrificia victimarum figuralia, & ſe ipſum in Cruce pro vero Sacrificio ac immutabili, DEO Patri obtulit, atque offerri voluit? Aſt videat Author. Fecitne id Chriſtus ex lege naturæ humanæ, an ex Lege Divina & revelata per Prophetas, ut implerentur Scripturæ?

Ad 18vum. Non judico Authorem, quòd eſset nullius Religionis, quando ipſemet cùm definivíſset omnem Religionem pendere ab intellectu & voluntate, non autem à neceſſitate, hic neque determinat ſe, cujus partis diſſidentium in religione exiſtat. Sentit ille unam nonniſi eſse poſse veram Religionem, unitatem tamen ejus opportunam, nec dicit exiſtere, nec ſpecificat, ſed ambidexter, de alterutra parte Religionis (puto Catholica, & Acatholica) neceſſitatem erroris ſubinfert, & pro qua parte diſſidentium ille ſtat, declarationem ſuam vagabundam ſuſpendit. Qui verò Chriſtianus diverſitati Religionum ſavet, nonne ipse inſtabiles leges naturæ in homine comprobat? quia & jus intelligendi recta, non in unoquoque firmum cenſet.

Ad 19num. Tolerantia tamen Religionis diversæ nunquam fuit aut eſt de juſtitia naturali, quia in veteri lege neque Chriſtus Phariſæos, Saducæos, aliosque Diſſidentes toleravit, ſed reprehendit. *Væ vobis duces cæci & duces cæcorum! Qui tuliſtis clavem ſcientiæ, & ipsi non introiviſtis, & introëuntes prohibuiſtis.* Igitur tolerantia ſub anathemate Chriſti poſita, undenam juſtitiam pro se habere poteſt, niſi forſan à ſauthoratu civili, vel etiam à diſſimulatione Matris veræque Eccleſiæ, quæ patiens tolerat ob ſpem converſionis ab errore? Equidem juſtitia defendendi veram Religionem, & juſtitia tolerandi falſam Religionem, ſtare ſimul in una civitate & imperio nequeunt, ſed se ad invicem excludunt; ſicut veritas & falſitas in uno ſpiritu ſtare ſimul nequit, ſub uno præſidio juſtitiæ.

Ulteriora Dogmata.

20\. Hoc reſpectu triplex in Republica diſtingvi Religio poteſt: Approbata, Tolerata, & Reprobata. *Ibid.*

21. Reprobatam civiliter Religionem eam voco, quæ introducitur in Republica invito eo, qui imperium fummum tenet, atque renitente. *Ibid.*

22. Exemplum præbent Chriftiani trium primorum fæculorum, dum gentiles Imperatores fupremam obtinebant poteftatem. Ecclefia, quàmdiu in hoc ftatu eft, nullo communi fruitur jure civium, quorum in numero non habentur eidem addicti. *Ibidem.*

23. Approbata Religio eft, quæ publica Reipublicæ approbatione fuftinetur. *Ibidem.*

OBSERVATIO.

Ad 20mum. Religio fola veritate & cœlefti comprobatione legum ejus diftingvitur, nec ab hominibus approbatione aliqua indiget, fed fubmiffione & confeffione. Equidem Decalogus Præceptorum DEI, & in eo Articulus naturalis: *Honora Patrem & Matrem:* indigebatne aliquando vel indiget ad fe recipiendum ftatutô civili? Quod fi Religio in Parentes à DEO cauta, folo usu colitur, & prævaricatores ejus filii à civitate plectuntur: quantò magis Religio in Patrem æternum toties revelata coli & non approbari, ejusque filii prævaricatores & fpurii cultores judiciô Ecclefiæ plecti debent?

Ideoque vana eft Rieggerii diftinctio & divifio triplex Religionum in Republica: quando nec Religio in Parentes triplex approbata, tolerata, & reprobata, intra Rempublicam admittitur, fed æquali & univerfali lege, una & uniformis inculcatur.

Ad 21mum. Quoties Religio vera DEI eft fupra materiam Status civilis, toties imperium fummum Reipublicæ nullum jus habet renitendi, fed amplectendi veritatem Religionis. Exemplum hujus præbent Pharaones Ægyptii, à quibus non petebatur approbatio, fed mandatô DEI exigebatur per Emiffarios Moyfen & Aaronem, dimiffio populi Israëlitici ad facrificandum in deferto, & Leges cœleftes fufcipiendum, & ferviendum Domino. Renitebat quidem revelationibus omnibus invitus Pharao; ejus tamen imperio renitente ftetit Religio Veteris Teftamenti, & populus ab Ægyptio Regno in damnum fuum fublatus eft in libertatem.

Ad

Ad 22dum. Mi eximie Jurium Collector! quis jurisprudens ſcandaloſa facta pro exemplo legali Majeſtatibus & imperiis adducit, & ad imitandum proponit? Chriſtiani trium primorum ſæculorum, ſuntne paſsi in Civitatibus gentilium, ut fures, aut maledici, aut ſeductores in Religione? Sunt utique paſsi ut fideles Milites Chriſti, & Miniſtri veritatis & juſtitiæ cœleſtis: paſsi ſunt ut Eccleſia præordinata ad generandos in dolore Filios redemptionis, usque ad ſpolium vitæ ſuæ & amiſſionem jurium temporalium. Exempla illa crudelia ſerviuntne ad ſtabiliendum jus imperiale, vel ad juſtitiam civilem fulciendam contra Eccleſiam & Religionem revelati Servatoris? Sed latiùs hæc patebunt inferiùs de Regno Chriſti.

Ad 23tium. Nisi CHRISTUS in ſuo & Martyrum ſangvine Religionem revelatam DEI ſuſtinuiſſet in terris, approbatio Reipublicæ terrenæ, nunquam ei vim, authoritatem, & univerſalitatem ſuperaddiſſet: quoniam adhuc experimur in Rebuspublicis contradictiones, Schiſmata, Hæreſes, & Athæos adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus foveri, & ſuper falsa libertate conſcientiæ civiliter ſuſtineri, imò & Tractatibûs publicis ſtudiosè obfirmari. Sed & hæc Chriſtus præſcivit adversa, ſuosque Apoſtolos præmonuit, ut contra civitates non recipientes Regnum DEI in ſignum anathematis excuſſionem pulveris de pedibus facerent, & non jam approbationem Religionis poſtularent; ut clariùs de Legibus Regni Chriſti infra patebit.

Etenim Religio Chriſtiana cúm habeat ſolum Deum ſui Inſtitutorem & Revelatorem, cúm teneat unam præordinatam Eccleſiam ſui propagatricem & revelatricem ad Gentes: jam talis Religio & Eccleſia, pendet à ſuſtentatione ſolius Revelantis & Delegantis DEI, ſuſtentatio non minús veritatis, & reprobatio falſitatis in revelatis, pendet ab eodem ſpiritu & poteſtate ad id præordinata in Eccleſia, & ab alto poſitivè delegata.

Si profectò DEUS ſubordinâſſet Religionem ſuam imperiis civitatum, pridem illa degenerâſſet in Religionem politicam, temporalem, naturalem, animalicam & Japponenſem, pro arbitrio Imperantium civilium: quod tamen DEUS nec Regibus Israëliticis

submisit, ast Legibus suis & Prophetis sacris custodiendam reliquit.

Ulteriora Dogmata.

De Ecclesiasticæ Potestatis limitibus *P. 1. c. viii.* §. *cvii.*
Author memoratus dicit:

24. Potestati Ecclesiasticæ omnes subsunt, qui per baptismum Ecclesiam ingressi, ovium seu fidelium & subditorum numerò comprehenduntur, adeò ut nec Principes nec Reges Christiani ulla ratione exempti sint. *Ibid.*

OBSERVATIO.

Ad 24. Vera est propositio Collectoris, utinam sincera sit! Quod si enim Principes & Reges Christiani non sunt exempti ab Ecclesiastica potestate, jam utique naturale est, ut & imperium eorum eidem potestati in ratione justitiæ, quæ attributum Religionis est, subsit; quia nemo Rex & Princeps appellatur à genitura sua, sed quia regit & imperat justitiam in populo. Cur tamen Author & Collector hic rursus contradicit sibi? dum ait *de independentia Imperii civilis ibid. P. 1.* §. *cxv.* sic:

25. Respublicæ Christianæ æquè libera, summa & independente Majestate utuntur, eadem sanè, quâ populi Religione tantùm naturali instructi, ante adventum Religionis Christianæ utebantur. *Ibid.* §. *cxix.*

26. Eidem ipsos Ecclesiæ Antistites subjici. *Ibid.*

27. Principes malos à solo DEO posse puniri. *Ibid.* §. *cxx. cxxi.* adeoque Majestatem à Sacra Potestate omnino independentem esse.

28. Et qui dependentiam indirectam defendunt, neque ex ratione, neque ex revelatione evincere possunt. *Ibid.* §. *cxxii. & seqq.*

OBSERVATIO.

Ad 25tum. Inspiciamus veritatem: Si ab initio generis humani patria potestas familiam domûs privatæ regebat: Ergo patria potestas in uno Adam, in altero Noë, est fundamentum & norma cujusvis Reipublicæ. Quantùm autem ab hac norma re-

cesse-

cesserunt Civiles Respublicæ, utique sola difformitas enormis in Religione, & regimine Civitatum, satis edocet, quód non sint imitatrices primitivæ potestatis patriæ: voluitque summus Imperator DEUS easdem adunare in una ac uniformi Lege sua, quas electæ Reipublicæ Hebraicæ præscripsit, & publica potestatis suæ in mirabilibus ostensione ad gentes, incipiens ab Ægypto Regione Chamitica, publicavit.

Si verò Respublica est populus ad subsidium communis vitæ sibi fraternè in DEO uno associatus: Majestas talis populi unde derivabitur? Nonne á Majoratu, à Magistratu, & Magisterio Paterno ejusdem populi Dei? Quod si Majoratus & Magisterium Adæ, non fuit in filios à viribus naturæ corporalis, quia Adam primus non est natus, sed immediatè à DEO factus & creatus, & privilegiatus est, ut ageret Patrem, Ministrum, & Eruditorem posterorum uniformem virtute solius Dei: Ergo Majestas ab eodem primo homine derivata, gratis in naturalem convertitur, siquidem principium suum á DEO ipso per Ministerium Adæ originaliter habet, & per revelationem; sicut inferiùs de Regno Dei clarificabitur. quia omnis Potestas Virtus Dei est, & á DEO est.

Licèt autem hæc Majestas atque Potestas dirigat & agat circa naturalia; propterea tamen non rectè dicitur apud naturalistas, quód sit naturalis, siquidem principium ex DEO habet, & ultimum finem respicit, gloriam ac voluntatem Altissimi Imperantis. Quemadmodum veró, & Religio primæva impropriè dicta est naturalis, ex eo, quod tantùm sacrificaret DEO naturalia terræ jumenta & primitias frugum, quæ cessárunt adveniente Oblatione & Sacrificio supernaturali Christi: Ita & Potestas impropriè dicenda est naturalis, eò quód præsit naturalibus & œconomicis rebus Civitatis, ipsa veró ad ordinem potestatum Dei cœlestem in Christo Rege referri debet, sicut potestas Principum & Regum Israël ex Lege Dei scripta ad ordinem & finem Christi referebatur, ut patebit ultra hoc Sermone.

Ergo inglorium & ignominiosum erit pro Majestatibus Reipublicæ Christianæ asserere: acsi *eadem Majestate utantur libera, summa, et independente, qua populi Religione naturali tantúm instructi, ante adven-*

ventum Religionis Christianæ utebantur. 1mó: quia hæc Assertio coæquat Majestates nostras cum Gentilibus: *2dó*: quia potestatem Dei Regalem subordinat Religioni cuidam naturali, quæ falsa & animalica ad Gentes irrepsit: *3tió*: quia Respublicæ Christianæ sub Legem Christi revelatam assumptæ, non possunt in suis Majestatibus duobus Dominis servire & DEO, & idolo naturæ, ut unum contemnant, & alterum diligant: *4tò*: quia ab eodem ipso Rieggerio rectiús supra agnitum est, de Ecclesia & ejus Potestate, quód *omnes eidem etiam principes subsunt, qui Ecclesiam per baptismum ingressi Ovium numerô comprehenduntur*. Si enim persona subjicitur, quantó magis qualitas Ministerii ejus Christiani, quæ Divina est, & subordinata, eximi politicè nequit. Jam enim & Respublica Christiana Ovium numerô comprehensa, tanquam Majestatis subjectum pro exempta à Potestate Ecclesiastica apud Rieggerium reputaretur, quod est contrarium rectæ rationi. Nam qualis Respublica populi, talis & Majestas.

Ad 26tum. Posita Republica Christiana, necesse eam, exemplô Ordinationis Divinæ in Lege Veteri, aliam Ecclesiasticam, aliam Civilem in uno cætu populi haberi & contemplari. Majestatesq; sivé Majoratus & Magisteria in illis duplicia resultare, videlicet Majestatem sacram, & civilem, correlativam ex una lege justitiæ DEI.

Sicut autem spiritus primus est, qui suscipit Legem in homine, ut eam inspiret & communicet subjecto sibi corpori ad rectè agendum; ita & Majestates a DEO suam in legibus coordinationem & subordinationem habent, ut prima ex illis portet & inspiret Legem DEI ad populum, hoc est Sacerdotalis: altera verò recipiat traditam sibi eandem Legem & exequatur in populo, hoc est Majestas civilis, dicantq; ambæ correlationem sibi ad invicem, in ratione justitiæ ad normam animæ & corporis, quæ sibi mutuó auxiliantur ad beatitudinem utriusque connexæ vitæ.

Quando autem Rieggerius ex Lege quadam naturali asserit Majestati Reipublicæ ipsos Ecclesiæ Antistites subjici, protunc ille veritatem Assertionis suæ probare poterit, quando evincet corpus præesse spiritui, & non spiritum corpori: quando probabit, quod

quód Reparator naturæ Chriſtus, primó fixit poteſtatem ſuam in ſtatu reipublicæ civilis, quàm in Ordine Hierarchico Ecclesiæ, & quód misit Reges ad Sacerdotes, & non Sacerdotes ad Reges cum imperio Legis Evangelicæ.

Ad 27mum & 28vum. Quorſum autem hæc dogmatisatio de juribus tendat naturæ, jam ſe Author hic prodit: quód ad independentiam Principum ſtatuendam tendit. Principes autem recti nonne hanc blanditiém Authoris, in conſcientia ſua facilè reprobabunt? Quoniam illi sibi in experimento ſunt: quomodo in regimine civitatis ſubjectionem ſervilem patiuntur, necnon á consilio directivo variorum Miniſtrorum, imò ſæpe & ruricolarum ſuorum, undique omnino pendent. Et quid deterius illis erit a Sacra Poteſtate directiva ſpiritûs & consiliatrice dependere? Nonne ſolus ſpiritus per legem regnat, & corpus obtemperat?

Quod si Author malos principes dari affirmat, eosq; pro pœnis ad ſolum Deum remittit: quare Antiſtites Ecclesiæ similiter non remittit? Nonne omnes in Chriſtianitate Duces populi unctos, ſola unctio ſpecialis DEO ſubjicit? Sed videat Author ex ſua ſententia paratum juſtitiæ diſordinem. Sexcenti Principes & ſexcenti Antiſtites tantùm si numerentur in Univerſo, ſacram illi Parochiam & Diœcesim graviſsimam ex ſe componunt. Membratim quippe Poteſtatem exercent, & membratim Ovile Chriſti cuſtodiunt. Et quomodo sine ſuo alto Parocho, sine ſuo alto Paſtore & Capite exleges manebunt? Neque ordo naturæ, neque ordo DEI revelatus in Scripturis, neque demum ordo Chriſti tentus in Collegio Apoſtolico, talem independentiæ ſtatum admisit, quia Acephalicus & Anarchicus eſſet.

Si veró hæc ratio Ordinis & Unionis Ecclesiæ DEI Authorem non movet, conſerat ſe ad Leges Regni DEI & Chriſti inferiùs positas, ex quibus & Rationes & Revelationes colliget, ad dependentiam Principum æquè sicut & Antiſtitum ſtatuendam. Quia Deus neminem in terris peccantem sine lege vitæ & diſciplinæ, neminemque Legibûs abutentem abſque remedio pœnitentiæ in Chriſto reliquit, ut Miniſtros etiam ipſos æterno judiciô ſuo non damnaret.

Qui autem Principes publicè malos reperiri dicit, & in peccatis ſta-

ſtatûs Reipublicæ Chriſtianæ reconciliationis medium pro ipsis non adfert, ſed independentiam præſcribit: ille Principes tales ab ovili Chriſti ſeparat, & animas eorum in periculum ſalutis æternæ protrudit; quod ipsi tanquam Miniſtri DEI Uncti refugiunt, & cum principibus gentilibus ea in re coæquari non optant. Signanter illi, qui ante adventum Religionis Chriſtianæ Revelata non ignorant, quomodo Reges revelati in Israël clamabant Spiritu DEI ad Principes independentes á Lege Domini. *David Psal.* 2.

Et nunc Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore: Apprehendite diſciplinam. Et Psalm: 49. *Congregate illi Sanctos ejus: qui ordinant teſtamentum ejus ſuper Sacrificia.*

Et Rex Salomon clamat *Libr. Sapien: c. 6.*

Audite ergo Reges & intelligite, & diſcite Judices finium terræ: Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: Quoniam cum eſſetis Miniſtri Regni illius, non rectè judicâſtis, nec cuſtodiſtis Legem juſtitiæ, neque ſecundùm Voluntatem DEI ambuláſtis. Ibid: per tot:

Item Eccl: c. 3. dicit: *Filii ſapientiæ Eccleſia juſtorum, & natio illorum, obedientia & dilectio.*

Item Chriſtus de juſtificatione Phariſæi & Publicani ait Luc: 18. *Quicunque ſe exaltat, humiliabitur; & quicunque ſe humiliat, exaltabitur.*

Idem Chriſtus recedens ad Patrem reliquit Paſtoratum ſuum ſuper ovile Agnorum, ſeu Apoſtolorum, & ovile Ovium, ſeu reliquorum fidelium, penes ſolum Petrum Joan: Ultim: dicens triplicata commiſſione in facie Collegii: v. 15. & ſeq. *Simon Joannis. diligis me plus his? Pasce Agnos meos:* & iterum: *Paſce Agnos meos:* & ultimò: *Pasce oves meas.*

Quòd si hæc pauca ſunt, majora adferentur de Regno Chriſti. *Part. 2. & 3.*

§. III.

Dogmata ulteriora ex Admonitionibus Rieggerianis, quas ille præcipuè in ſuis Regulis octo adfert. De Interpretatione Sacræ Scripturæ. *Part. 1. §. cc. & §. ccviii Regula viii. ibid.*

29. Obſervandum eſt: ut ne putemus Religionem revelatam felicitati hominum temporali ulla in parte derogare: aut in Moralibus

meris

meris quidquam in ſacris Literis decretum eſſe quàm id, quod jam recta ratio fieri jubet aut prohibet.

Religio enim revelata pro fine habet hominum æternam felicitatem, quæ temporali repugnare nullo modo poteſt.

Revelatio autem facta eſt: ut rationi ſuccurrat in cognoſcendis iis, quæ ſuis relicta viribus adſequi non poteſt.

OBSERVATIO.

Ad hæc ratiocinia ſua interroget Author Miniſtros Dei physicos, qui ab initio mundi ad hominem revelati ſunt, ut ſequenti Capite elucidabitur, videlicet: Solem, Lunam, & quatuor Elementa terreſtria: Quare illi ſæpe derogant felicitati hominum temporali, æſtu, frigore, tempeſtate, inundatione, peſte, ſterilitate, turbando temporalia? Talia nihilominus ratio hominis quantumvis recta prævenire, ſistere, & prohibere ad felicitatem temporalem ſtabiliendam nequit. Et quid DEUS, aut Miniſtri Ejus, in Religione revelata culpari poterunt? si ad rectificationem juſtitiæ & rationis, atque ad resipiscentiam ſuperborum per ſubtractionem & derogationem temporalium proceſserint, ut unusquisque abnegaret ſemetipſum & ſua, & portaret crucem ſuam ex præſcripto Chriſti mandato, atque consilio, si vult in hoc ſæculo, & futuro eſse beatus. *Marc. c. 10. ℣. 28. & ſeq.*

Quæro: ſuntne hæc ſcripta in volumine intellectûs humani, aut in libro rectæ rationis naturalis, quæ in decretis Scripturarum DEI, ad directionem ejusdem rationis jubentur & prohibentur? Sufficit, puto, pro rationis rectitudine præferenda, ut fideliter obediat Decretis Scripturarum revelatis, tanquam imbecillis diſcipulus Magiſterio ſuo, & non jam vires ſuas viribus Rationis Dei coæquet, vel anteponat.

Equidem Religio revelata & ſacræ Literæ, nonne eſt Regula DEI præveniens, concomitans, & ſubſequens rationem hominis, ut rectè ſapiat, illiq Regulæ insistat, in juſtitia moralium, & uſu temporalium? Numquid per hæc temporalia non omnino

nino itur ad æterna? Numquid juſta temporalia non ſunt media & ſubsidia conſequendæ juſtitiæ æternæ? Cur itaque etiam hæc media ſeparari debeant per Naturaliſtas á ſine revelato? Ipsa materia Sacramentorum revelata, Panis & Aqua, utique contra eorundem dogmata pugnat.

Deinde: si Revelatio facta eſt, ut rationi ſuccurrat in cognoſcendiis iis, quæ viribûs ſuis adſequi non poteſt. dicemus mox Capite ſequenti, quód ratio clausa in corpore abſque revelatione externa & interna nihil viribûs ſuis de veritate aſſequi poteſt. Nunc interim dicimus: Quòd Religio revelata & Scripturarum revelatio felicitas eſt ſpiritûs humani prima & principalis, à qua corpus humanum felicitatis eſt particeps æternæ & temporalis. Igitur felicitas corporalis à felicitate ſpirituali pendet, & ſeparari poſt Incarnationem & Reſurrectionem Chriſti rationabiliter nequit.

Ulteriora Dogmata.

De Myſteriis Verborum, *P. I. §. ccii. Reg: iii. inſert.*

30. Nam quid minus dignum eſt Deô, quàm homini velle perpetuò illudere? Aut non eſt hoc illudere, loqui hominibus ita, ut prorſus non intelligant? Quòd si enim DEUS aut ignoto idiomate, aut inaudita verborum conceptione, in doctrinæ ſuæ denuntiatione uſus fuiſset, & quid amabo commodi in genus humanum ab ea profluxiſset?

31. Porro Sacræ Literæ eodem interpretandæ ſunt Spiritu, quo fueerunt ſcriptæ. §. *ccii. Reg. iv.* Et hic Spiritus toti Eccleſiæ datus cum sit, ſacræ Literæ interpretationem accipiant ex conſenſione totius Eccleſiæ Chriſtianæ.

32. Quid? quòd & DEUS ipſe ſæpius de ſe diverſo ſub reſpectu loquitur, quæ nisi diligenter ſeparentur, errores pariunt. Atque hunc errorem Canoniſtæ illi & Theologi errant, qui illud Chriſti apud Mathæum Capite ultimo, aliaq; ejuscemodi ad Romanum Pontificem referunt: *Ibidem §. ccv. Regularum. De Locutionibus Emphaticis*: docet Author.

OB-

OBSERVATIO

Ad 30. Advertat Naturalista noster audacem emphasim suam in sermones DEI, quàm sit obliquæ rationis? Quis causam aliquando dedit DEO lingvam unam originalem & connaturalem Adæ, confundere & dispartiri in plures ignotas? Nonne superbia hominum ædificantium inordinatam Civitatem Babel? *Gen. C. xi.* Quid amabo hodie commodi habet genus humanum, quia experta pœnali confusione lingvarum, non studuit primitivam rehabere nec studet; sed in sua confusione adhuc gloriabatur, & gloriatur, lingvam sibi novam pro arbitrio formare, colere; ut gens gentem contra naturam non intelligat, fraternitatem dividat, & odiô ignorantes verborum mysteria ac idiomata prosequatur?

Ast si liberum est homini sibi ipsi voluntariè illudere, novas idiomatum conceptiones & in Regionibus inauditas efformare, ut gens gentem nisi studio, labore, & impensis intelligat: si inquam (nolente DEO & simplicia amante) licitum est homini in figuris hieroglyphicis, methaphoris, ad Deum loqui, & ad gentes mythologisare: Cur DEO non esset licitum ad ostendendam scientiam & sapientiam suam in mysteriis Regni sui inter homines parabolisare: idq; ad commodum hoc, ut intensiùs curarent à DEO habere Spiritum revelationis & cointelligentiæ?

Ad 31mum. Advertat iterum de se ipso: Quia cum dogmatisans non habeat in se plenum Spiritum totius Ecclesiæ; attamen ultra sphæram judicat de Lege Dei & Scripturis sacris: Et quis illi assentiri & credere tenetur? Toti utique generi humano data est ratio & lumen animæ: igitur omnis lex humana veram interpretationem accipiat necesse ex consensione totius generis humani in Universo?

Ad 32dum. Aliud est separare loquelam respectivam, a loquela diversa de DEO: & aliud est claram Legem Christi *Mathæi ultimo: Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra*: referre ad Vicarium Christi Summum Pontificem: Quia hanc Legem & Potestatem pro humana providentia in Evangelio promulgatam, implicat esse sterilem, & non relatam, non translatam ad aliquem Ministrum pro exercitio.

Quando enim Chriſtus pro ratione Paſtoratûs ſui universalis edixit hanc Legem omnimodæ poteſtatis ſuæ in cœlo & in terra; jam verò Paſtoratum ſuum retulit & tranſtulit ad primum ſuum Miniſtrum Petrum: *Paſce Agnos meos*: *Paſce oves meas*: idq; correlativè & cohærenter ad primam ſuam legem *Mathæi c. 16. v. 19.* editam: *Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum*: *Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis*: *& quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*: Jam Canoniſtæ & Theologi non errant, ſed Rieggerius; quoties verba illa Chriſti sibi correlativa & translativa, referunt ad primum Miniſterium Vicariale Chriſti, ſcilicet ad Romanum Pontificem, Apoſtolicum Petri Succeſsorem: ut ampliùs infra de Legibus Regni Chriſti enucleabitur.

§. IV.

Quid de ungendis Regibus: & Immunitatibus cenſet idem Collector juris?

33. Archiepiſcopum non palliatum non poſse exercere ea, quæ ſunt Ordinis: Hoc non obſtare juri inungendi Regem noſtrum in Germania. Quùm enim ſolemnitas inaugurationis Regiæ per ſe non Eccleſiam, ſed regnum reſpiciat, nec Regi inuncto Miniſterium quoddam ſacrum tribuat, eam ad Actum Ordinis verè hierarchicum referri non poſse. *P. II. tit. viii.* §. *ccvi. De uſu Pallii.*

℞. Quando Pallium præfert in ſe, & ſignat plenitudinem Poteſtatis Archiepiſcopalis, repugnat Archiepiſcopum sine eo ubique & in Germania ipſa accedere ad ungendum & signandum Regem sive inaugurandum. Equidem non palliatus Gradum Hierarchicum plenè non obtinet in Eccleſia, ejusdemq; Gradus poteſtatem abusivè exerceret, si exerceret ut Archiepiſcopus non qualificatus, non signatus.

Dicetur autem infra P. 3. de Forma & Legibus ungendi Reges, ut conſtet, quantum ſolemnitas inaugurationis Regiæ reſpicit Eccleſiam ex Lege veteri, & non regnum, quia hoc DEI Poteſtatem Regibus tribuere nequit eam, quam non habet.

34.

34. Jus Canonicum intantum valet, inquantum receptum a Civitate. *P. III. de Immunitat. Eccles.*

℟. Secundùm hunc Collectorem juris: Sicut Religio superiùs approbationi & reprobationi Civitatis subjecta fuit: ita & Evangelium, & Scripturæ sacræ, & Canonica Jura nunc subjiciuntur. Verumtamen Lux mundi, Sal terræ, Lex vitæ spiritualis opusne habent ad suum valorem receptione externa civili, authorisatione, & vivificatione? aut radii lucis, effluvia salis, & virtus Spiritûs sancti, quæ ab illis fontibus promanant ad corpus civile, suntne maleficia Civitatis? Ita Jura Canonica sunt radii, effluvia, & virtus, ab Evangelio, Scripturis sacris, & a Spiritu virtutis Dei promanata, ex se valent ad usum salutarem Civitatis, & totius Orbis. Et qui ea rejicit, odit lucem revelatam, ut in antiquis tenebris ambulet.

35. Immunitates Ecclesiæ ex mera gratia Imperatorum & Principum, revocatæ in parte sunt, & non possunt obesse juri Majestatico. *Ibid. P III. de Immunit.*

36. De Sacerdotibus Veteris Legis exemptis ab onere solvendi disparitas est: quia nihil terræ possidebant.

37. Quia antiquatas Leges Civitatis Judaicæ nemo nobis imposuit.

OBSERVATIO

Ad 35tum. Si hic Naturalista Immunitates Ecclesiasticas & Legem Veterem despicit: videat, quibusnam Legibus Divinis & firmioribus stare faciet immunitates civilium Majestatum? nisi forsan legibus armorum. Testatur enim Rex revelatus David *Psalm: 104.* de immunitate Ministrorum Dei, & de Deo ulciscente Violatores:

Et corripuit pro eis Reges: nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari. Et vocavit famem super terram: & omne firmamentum panis contrivit. Ast & Reges nostros, nonne ut Christos unctos habemus?

Ad

Ad 36tum. Percurrat autem ingenuè Legem Veterem, cui Evangelium innititur, ut naturalisans cognoſcat ſaltem Librum *Paralip. c. 7 per tot:* de Sacerdotibus illis unctis, quot civitates, ſuburbana, & villas Filii Aaron, & Filii Levi poſſederunt, ſine onere ſolvendi?

Ad 37mum. Si Victor dat Leges, Chriſtus Rex per Crucem Victor mundi in medio Reipublicæ Hebraicæ, impoſuit nobis & toti mundo legem Civitatis Judæ, in ſuo Evangelio, ut infra de Legibus Chriſtianis deducetur.

Ulteriora Dogmata Ibidem.

36. Quia Leges Veteris Teſtamenti Cæremoniales & Judiciales, ſpeciali ratione à Domino Deo Synagogæ & Reipublicæ Hebraicæ latas, ad Eccleſiam Chriſti minimè pertinere. (*ait*)

37. Qui ergo crimen ſacrilegii iis Principibus impingunt, qui sine Pontificis conſenſu pro diverſa Reipublicæ neceſſitate, immunitatem hanc Eccleſiaſticam vel reſtringunt, vel tollunt: iſti Majeſtatem violant, & ſacrilegium ipsi primæ claſsis committunt. *Ibid.*

OBSERVATIO.

Ad 36. iterum: Cur hic idem Collector ſubticuit ſpecialem rationem Dei pro Legibus Veteris Teſtamenti Hebraicis, ob quam hæ Leges non valerent extendi & referri (demptis legalibus Sacrificiîs) ad Chriſtum, Ejusq; Eccleſiam & Rempublícam Chriſtianam?

Autne Chriſtus noſter, non eſt Semen Abrahæ ſanctum, ſecundùm Humanitatem de Hebræis promissum & natum? Aſsumpsitne Ille legem in ſe gentilem, deſpecta Teſtamentaria Dei cum Israël Lege: ut illam, & non hanc adimpleret, implendamq; Discipulis ſuis inculcaret?

Autne Sanctuarium DEI in Israël poſſidebatur hæreditate ab Israël, & non propter Chriſtum venturum præparabatur? Aut ipsa

ipsa Lex vetus ſcripta, Cæremonialis & Judicialis, fueratne ſpecialis pro Jerusalem, & non universalis ad juſtitiam omnium Gentium corrigendam, ut Rex David per omnia ſua oracula Pſalmorum ſonat, & Principes terræ ad eam amplectendam, Genteſq; infideles provocat?

Ratio ſpecialis erat, unam sibi Synagogam & Rempublicam illam revelatam in Domino inſtituendi pro norma & capite Gentium cæterarum: ut omnibus notum faceret ſalutare ſuum, & quæ mandata erant in ſanctitate & juſtitia primis Patribus, hæc teſtamentali fœdere consignaret, atteſtante Rege revelato David *Psalm. 77.*

Et ſuſcitavit teſtimonium in Jacob: & legem poſuit in Israël. Quanta mandavit Patribus noſtris, nota facere ea filiis ſuis: ut cognoſcat generatio altera. Filii, qui naſcentur & exurgent: & narrabunt filiis suis. Ut ponant in DEO ſpem, & non obliviscantur operum DEI, & Mandata Ejus exquirant.

Quàm sit ergo falsum, has Leges DEI revelatas aſserere, acsi ad Ecclesiam Chriſti minimè pertineant: uberiùs infra de Regno Chriſti comprobabitur.

Ad 37mum. Quid hic Author ſacrilegium in Principes exprobrat: quos nullum miniſterium ſacrum obtinere in unctione Ecclesiaſtica immediatè aſseruit, & inter profanos recenſuit?

Verumtamen etiamsi forsan immunitas aliqua Ecclesiaſtica foret a mera gratia Principis proveniens: Licetne de jure, ut eam Princeps gratiam, quâ ſe exuit, de manibus alienis, invito Poſseſsore vel Tutore, tollat, vel reſtringat?

A fortiori si particularis Respublica ſemel renuntiavit juri ſuo, in Corpus Reipublicæ universalis, qualis eſt Ecclesia Chriſti: quomodo non deducta neceſſitate coram ſummo Capite ejusdem Corporis, & inconſulto eo, legitimè poteſt membrum ab universitate jus amiſsum in ſtatum priſtinum ſuum sibi vi propria reſtituere?

Ulte-

Ulteriora Dogmata.

Ex Selectis Admonitionibus Rieggerii *P. I.* §. *dxc. Collect: Jur: Eccl:*

38. Ait Collector : Cùm ergo de genuina Regiminis Ecclesiaſtici forma : De Poteſtate Ecclesiaſtica , in ſpecie Pontificis , ac Epiſcoporum quæritur :

Cùm de Civitatum natura juribusq; eſsentialibus diſputatio inſtituitur: Cùm primæva & mutua Civitatis in Ecclesiam , & Ecclesiæ in Civitatem jura inveſtigantur :

Cave ne Corpora juris evolvas , inq; iis decisiones ejusmodi quæſtionum quæras , ni ludibrio Eruditorum te exponere velis. Etenim hæ quæſtiones Juri naturali , Sacris dein Literis , atque Divinis Traditionibus , infallibili totius Ecclesiæ judiciô explicatis unicè innituntur .

OBSERVATIO.

Ad 38vum. Ergo juxta monita Rieggeriana de præmiſſis , tota Disputatio inter Naturaliſtas & Revelantiſtas , curiosè & ineptè per Gymnasia Civitatum movetur. Ideo Lectores & Principes jam indeterminatum Collectorem juris naturalis dignoſcere poſsunt Rieggerium , & cavere ab evolvendo corpore Jurisprudentiæ ejus ; Quæstiones autem de Poteſtate Ecclesiaſtica & Civili continuò motas infallibili judicio unius Ecclesiæ Catholicæ, quæ vera & Apoſtolica eſt , ſubmittere , ne ſe ludibrio Eruditorum exponant .

Cupio nihilominus in juſtitia omnes divertere animos ad unicum medium , ſcilicet ad ſola Volumina & Tabulas Fœderum DEI cum hominibus binas , Vetus & Novum : ex quibus Legem & Hiſtoriam infallibilem pro via & veritate naturæ imbecillis noſtræ positivè & indubitanter haurire poterimus . Non minus : Quæ sint primæva & mutua Ecclesiæ ac Civitatis ſanctæ jura ad regimen & Miniſterium juſtum a DEO ſummo Imperatore proposita & præſcripta in Regno Chriſti , deveniemus . Incipiemus tamen ab Operibus revelatis DEI , in externo volumine mundi .

CA-

CAPUT II.

De externis, & præliminaribus Naturæ dignoſcendis.

§ I.

Quæſtionum.

1. An Cœlum viſibile, illuſtribus corporibûs exornatum, atque omnia ſublunaria objecta terræ, ſunt ad hominem obvia DEI ſchola, & experimentalis officina revelationis operum & operationum Altiſsimi: an alicujus naturæ inferioris?
2. An homo rationalis leges quaſcunque rerum creatarum abſconditas ritè viribûs ſuis cognoſcere poteſt, donec eaſdem leges ex fructibus rerum & revelatione phyſica magiſterialiter didicerit?
3. An intellectus animæ occluſus in corpore vivo, & ſolitarius, obturatis ſibi vel impeditis quinque ſenſibus externis, visu, auditu, guſtu, olfactu, tactu, (qui ſunt miniſtri & revelatores objectorum, & juris eorum) poſsit functiones inditas ſpirituales & corporales erga ſe & erga Creatorem peragere, atque jure ſuo naturali independenter ab his miniſtris uti: necne?
4. An Traditiones Patrum, Libri, Gymnasia, Experimenta artium civilium, & quævis ſtudia mundi, ſunt Codices revelationum humanarum, & lucerna adventitia cœcutienti intellectui ad rectè cogitandum & agendum in ſocietate? Quod ſi ſic: Igitur

Conclusio 1ma.

Ergo intellectus clauſus in corpore, undique ſubjectus eſt à ſuo Creatore lumini & magiſterio Revelationum: atque rectitudo ejus rationis in cogitando & agendo a ſolis Revelationibus Divinis & humanis pendet.

§ II.

Quæstionum.

1. An in homine per peccatum vitiato privilegium Rectæ Rationis privativè dominatur? Vel homo liber etiam sibi privilegium Obliquæ Rationis adscivit & tenet? Aliàs enim Recta Ratio magistratu coërcitivo & imperatore justitiæ non indiget: Obliqua verò Ratio indiget.
2. Super privilegio arrogato perversæ rationis contra Authorem naturæ: Quis habet jus directum ponendi Magistratus coërcitivos, seu Judices inter rectum & obliquum Exploratores & Decisores: an Creator constans justitiæ, an homo instabilis & reus?
3. Inter duos æmulos cosiliarios hominis, videlicet inter legem mentis, & legem corporis, quis tertius legitimus summusque pacis & justitiæ Arbiter excogitari potest, si non Deus Revelator veritatis in utraque Lege?
4. An jus naturæ in dominando prætensum (quod est mera intellectus invisibilis humani revelatio & traditio ab extra) habuit aliquando, vel habet pro suo dominio beneplacitum & approbationem Excelsi imperantis directam? Quando è converso ex Revelationibus sacris & infallibilibus certò erudimur: quomodo & quoties hic Excelsus pugnavit contra insensatos hujus juris: Aquîs scilicet Diluvii universalis: deinde confusione lingvarum, & dispersione pœnali: deinde igne Sodomorum, & plagis Ægyptiorum: deinde Tabulîs Legis scriptæ Cœlestibus: deinde Cruce Christi: demum Evangeliô Regni pœnitentiæ pugnat. Quod si sic:

Conclusio 2da.

Ergo necessitas premit: ut omnis Lex naturæ intellectualis terrena sentiat se a fonte mutabili, & ab incerta justitia in dominio suo revelatam, peregrinam, dispersam & coërcibilem; necessitatemque agnoscat subjiciendi suam independentiam Legibus positivis Fœderum DEI, quas benignè ad utramque justitiam temporalem & æternam in Ecclesia sua revelavit. Nam discutiant omnes Naturalistæ.

§ III.

Quæſtionum.

1. An Creator & Revelator, ex teſtimoniis durantibus cœleſtium terreſtriumque rerum verè exiſtens, concesſit aliquando homini dominium ſuper terrena directum: an ſolum dominium utile, ſub ratione Villici?

2. An natura hominis veniens ab alio, & pendens omni ex parte ab alio, ſit & esſe poſſit vera ſibi in alieno fundo Legislatrix, vel tantùm executrix nata altioris ſui Jurisdatoris?

3. An fides & Religio naturalis per quemcumque Imperatorem Civilem inſtituta, ſtante peccato inobedientiæ hominis in Deum, fuit aliquando, vel esſe poteſt nunc par, condigna, & legitima, ad placationem & reconciliationem offenſæ Majeſtatis Divinæ, ſine grato Mediatore Chriſto, & ſine revelatione adæquatæ pœnitentiæ: necne?

4. An omnis poteſtas prætenſa naturæ, & ſocietas civilis Gentium, quæ ſe abſque Chriſto jactabat falsò, & nunc jactat Vicariam DEI ad populum: non maximè facta eſt obnoxia ſimulationis & inobedientiæ in Dominatorem Deum, idque per multifariam de civitate excuſſionem Legis cœlitus ſibi revelatæ, in ſpiritualibus, & temporalibus? Quod ſi ſic:

Conclusio 3tia.

Ergo omnis poteſtas terrena, quà poteſtas præſumptiva & averſatrix populi a viis Domini revelatis, ſingulari pœnitentia & reconciliatione opus habet ſub Regno Eccleſiæ Chriſti, illiq; ſubmitti debet, ad avertendam ultionem Altiſſimi à civitate, & ejus Majeſtate.

§ IV.

Quæſtionum.

1. An omnis Lex DEI: ſive illa *prima*, quæ rebus viſibilibus & inviſibilibus, antequam crearetur homo, ad operandum eſt inſita, ac im-

preſſa à Creatore: ſive illa *ſecunda* ſcripta in corde hominis tanquam directiva Imaginis DEI ad credendum Creatori, & rectè agendum: ſive illa *tertia* poſteriùs conſtitutiva hominis ſuper res Creatoris, & traditoria terrenorum ad uſum & regimen: ſive porro illa, quæ ab initio creationis Parentum, voce viva & judicio DEI, deinde per os Patriarcharum, Prophetarum, & per Tabulas fœderum: denique per Mediatorem Regem Chriſtum revelabatur, mandabatur, & ordinabatur ad homines:

An inquam omnis Lex DEI, eſt virtus & regula Spiritûs DEI, an verò virtus alicujus carnis?

Et, an talis Lex, ſit prima juſtitia, primumq; & ſubſtantiale objectum cultûs DEI, ac Religionis pro hominibus inſtituendæ, nec ne?

2. An omnis Poteſtas, ſive directiva, ſive coërcitiva, ſive executiva ſumatur ab extra, eſt aliquis fructus corporalis in homine: an verò eſt fructus merè ſpiritualis, & donum Altiſſimi Spiritûs revelatum? Et, an Poteſtas Civilis eſt aliquod Legis mutæ, ſive rationis naturalis donum: quando omnis Lex tantùm ſit regula muta, & ſignaculum poteſtatis, aſt non ipſa poteſtas?

3. An Templa & Sanctuaria Dei in terris, ſunt Tabernacula fœderum habitantis cum hominibus DEI vera, & Aulæ primò primæ, ad cuſtodiendam miniſtrandamq; omnem ſanctitatem, & juſtitiam revelatam, Nomine Imperantis DEI in Chriſto: nec ne?

4. An omnis Miniſter dictus Miniſter DEI, & pro DEO, tenetur probare fidei commiſſum Miniſterii ſui ad populum, ex Lege ſupremi Delegantis, & Credentialibus? Et an omnis ſubditus in terris faciem Principis non videns, Legem tamen illius per Miniſtros veros audiens, tenetur adſtruere fidem & obſervantiam Legi, ac Miniſterio imperanti, idque propter poteſtatem altam inviſibilis ſui Principis? Quod ſi ſic:

Concluſio 4ta.

Ergo Miniſteria, Leges, & Poteſtates omnes in terris ſuſtinentur per fidem: atque exercitium & obedientiam pro ſe non habent, tantùm ex fide aut Divina, aut humana, & propter fidem.

C A-

CAPUT III

De Officiis Hominis in genere, quæ Deus tum animæ tum corpori ad agendum impressit, tanquam fundamenta materialia imperii spiritualis & corporalis, in Natura.

§ I.

Expenduntur Officia connaturalia, ut jura.

1. *Animæ Officium materiale.*		2. *Corporis Officium materiale.*
1. Animandi & informandi corpus	1	Recipiendi in se animam.
2. Cogitandi omnia & discernendi.	2	Consensandi illi in omnibus.
3. Noscendi suum esse à Creatore.	3	Obsequendi passivè & agendi.
4. Credendi voci Dei & obediendi.	4	Generandi sibi simile.
5. Diligendi Deum & animas.	5	Complacendi in bono animæ.
6. Sequendi veritatem & justitiam.	6	Vocalisandi & sermocinandi.
7. Orandi & suspirandi ad finem.	7	Esuriendi salubria.
8. Velle scientiam immortalium.	8	Digerendi munda à crudis.
9. Operandi bonum ab extra.	9	Nutriendi & fovendi membra.
10. Regendi fragilia carnis.	10	Agendi & quiescendi ab opere.
11. Desiderandi æterna vitæ.	11	Senescendi in organis.
12. Memorandi & retinendi felicia.	12	Corrumpendi ad aliam vitam.

Expenduntur Formalia Juris.

	Pro Anima		*Pro Corpore.*
1	Est Lumen Rationis Divinum signatum in anima, tanquam Lex directiva & dirigibilis ab altissimo Spiritu.	1	Est Virtus animalica impressa corpori à DEO, ut Lex obedientialis & subordinata Rationi animæ spiritualis.
2	Decalogus Præceptorum Dei est Revelator voluntatis altissimæ, & illuminator obtenebratæ animæ: ad quid præstandum DEO & proximo tenetur, ut Imago DEI.	2	Decalogi ejusdem revelati anima est Conrevelator ad socium corpus, & imperator, quid & quantum cooperari & exequi debeat, ut consors Imaginis DEI.

Con-

Conclusio.

Idcirco ex ſchemate prætacto Naturaliſtæ diſcernant velim: Quale & quantum officium agendi inſitum & injunctum eſt animæ, & quale corpori ab Authore Naturæ; ut exinde tale fundamentum jurisdicendi in Eccleſia ſpirituali, & Civitate corporali pro Magiſtratibus principantium condiſtinguere & aſſignare valeant, ſi naturaliter valent.

Memores tamen ſint in condiſtinguenda juſtitia & poteſtate illius regulæ, quam jactant naturalem: *Reddere unicuique quod ſuum eſt:* quatenus ea Officia, quæ ſunt ſpiritûs, reddant ſpiritui, quæ ſunt corporis, reddant corpori, juxta exdivisionem Creatoris; Et quod eſt totum Chriſti DEI, reſtituant totum Chriſto Regi.

§ II.

De neceſſitate Legis & Disciplinæ DEI revelatæ.

Q. An Societas prima juris naturæ, apprehendit Legem & Diſciplinam ex ſe, vel ex DEO imperante & corripiente?

℟. Diabolus eſt contra hominem unus teſtis: Scriptura Geneſeos mundi eſt ſecundus teſtis: Qualiter ſuperbia ſpiritûs ſciendi bonum & malum, atque concupiſcentia carnis appetendi negata, fuit prima inobedientiæ hominis & independentiæ mater. Inobedientia verò & independentia fuit prima Legis, Diſciplinæ, & Magiſtratus ponendi in terra à DEO provocatrix, antequam lex & diſciplina Civilis a natura cogitaretur. Lex enim erat prima & ſanctior paradiſi, quàm lex cultûs terræ, dura & pœnalis, cui Naturaliſtæ nomen Legis naturæ adſcripſerunt.

Etenim in primis Parentibus noſtris, revelatorum tranſgreſſoribus, jus naturæ timorem pœnæ non revelavit: Vox autem DEI increpantis *Gen: c. 3. per tot: Adam ubi es?* revelavit. Et reſpondit reus abſconditus DEO: *Vocem tuam audivi & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Imò pudorem nuditatis in homine jus naturæ rationalis non revelavit: transgreſſio verò præce-

pti

pti revelati, nuditatem ejus indicavit. Ait quippe DEUS transgressori: *Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?*

Quinimo jus naturæ, quod hodie pro recta ratione usurpatur, in illa prima societate, agnitionem reatûs & pœnæ subterfugiebat, quando unus complex in alterum, vir in mulierem, mulier in serpentem deceptorem suam culpam retrudebat: nullusque eorum cognovit, & prævidit legem & disciplinam maledictionis etiam in futuro opere temporalium, quæ lata est in eos, ut exules terræ: *Ibid. Gen. c. 3. usque ad v. 24.*

Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, spinas & tribulos germinabit tibi: Et tu (Mulier) *in dolore paries filios, & sub viri potestate eris: Et tu* (Serpens) *maledictus es inter omnia animantia, terram comedes.*

Non cognovit, inquam, illa societas ratione naturali leges maledictionis, quousque non fuerunt a Revelatore DEO judicati & ejecti de loco voluptatis: *Ejecitque Adam: & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim: & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Quid ergo boni hæc prima societas ex jure naturæ porrexit ad suam progeniem vitiosiorem & civilem? nonne abusum Legis revelatæ, oblivionemque primitivæ Disciplinæ? Quoniam societas postera, etiam hæc, quæ in Scripturis revelantur pro maledicto, per longam consvetudinem judicavit in civitatibus, & tenet pro jure naturæ. Quod tamen non omnes filii Adæ fecerunt, siquidem Lamech postquam genuisset Filium Noë, confessus est dicens de eo: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum, in terra, cui maledixit Dominus.* Gen: c. 5. 29.

Itaque constat, quòd prima societas juris naturæ non apprehendit Legem & Disciplinam naturalem ex se, sed ex DEO imperante & corripiente: Imperiumque DEI revelatum est prius, quàm imperium hominis obedientiale, idque necessariò, ob peccatum ante Civilia introducta perpetratum.

De

§ III.

De regno peccati & mortis primæ Societatis.

Neque primus Adam cognovit peccatum, & mortem ſibi regnaturam, niſi per legem revelatam in prohibitione cibi, violatamque in transgreſſione cibi: *Genes: c.* 2. 17. dixit Dominus: *In quacunque die comederis, morte morieris.*

Non minus Adæ primogenitus Cain jure naturæ non ſenſit in terra pœnam exilii paterni, nec cognovit remorſum mortis, uſque poſt peccatum Fratricidii, revelatum a DEO vindice: *Ubi eſt Frater tuus?* ,, *Gen: c.* 4. Et uſque poſt judicatum DEI, in diſciplina maledictionis exauditum: *Maledictus eris ſuper terram: cùm operatus fueris terram, non dabit fructus ſuos: Vagus & profugus eris.* ,, *Ibid. v.* 10. *& ſeq.* Nunc primum agnovit ſe reum peccati, & dicens ad Dominum: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear: Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me* ,, *Ibid. v.* 13. cœpit metuere mortem, & ſentire pœnam maledictionis.

Regnum ergo peccati, & mortis etiam carnalis introductum eſt a prima ſocietate humana in terram, cui regno jus naturæ non reſtitit, jus autem ſummi imperantis DEI reſtitit, atque jurisdictionem ſuam revelatam contra illud fundavit.

Enimvero: cur DEUS non commiſit vindictam peccati Adamo Patri contra filium Cain ex jure & poteſtate naturæ ſumendam? Nonne ideo 1mo. Quia ipſemet Pater jam obnoxius erat, ac reus peccati & pœnæ: 2do. Quia in ipſo ſicut prævaluit amor carnis erga Evam conſortem peccatricem, ita prævaluiſſet erga primogenitum ſuum in diſſimulatione diſciplinæ: 3tio. Quia Deus exempla dominii ſui, & judicii ad poſteros voluit transmittere, quòd ille ſit unicus juſtus Dominator vitæ & mortis? Unde quoque ſeptuplum ultionis ſuæ contra eum declaravit, qui profugum Cain occidiſſet. *Gen: c.* 4.

Inſuper regnum peccati pullulavit unde? An primò ex violatione Religionis, an primò ex violatione Civilium? Aſt clarè nos

nos revelata certificant: quomodo Protoparens noſter ſtante præcepto religioſiſſimo DEI: *Ne comedas, morte morieris*: audivit potiùs vocem ſuæ carnis, & non audivit vocem ſpiritûs, illudque violavit. Cain itidem iratus eſt contra Abel religioſum ex cauſa victimarum: quoniam DEUS ad munera primogeniti falsa non reſpexit: ad munera verò ſecundogeniti fidelia reſpexit.

Itaque evidens eſt, peccatum ſurrexiſſe & pullulâſſe ex violatione primò Religionis, & non Civilium: Eademque violatio ſacrorum, aperuit regnum peccati & mortis in homine: per conſequens aperuit judicium, diſciplinam, & neceſſitatem Poteſtatis coërcitivæ, in Eccleſia DEI revelata, deinde ex hoc in Civitate Fratrum.

Nec mirum, Civilia eſſe poſteriora: quia poſt occiſionem ſecundogeniti Abel, primus profugus Cain ædificavit civitatem, vocavitque eam ex nomine filii ſui Henoch *Gen: 4. v. 17.* habitans in plaga *Eden:* Adam autem Pater exercuit Eccleſiam DEI, cui locô Abel natus eſt Seth filius, & hic cœpit intenſiùs *invocare Nomen Domini. v. 26.* tanquam filius revelationis, & juſti fratris ſucceſſor juſtus.

§ IV.

De incertitudine veritatis & juſtitiæ Naturaliſtarum Civilium.

Mitto Ciceronem a Rieggerio paſſim invocatum, qui Cicero ait de Natura Deorum: Qualiter vocabulum *Naturæ* apud Philoſophos & Jurisprudentes, non habet certos limites: *Quia illo vocabulo alii uſi ſunt pro vi naturali: alii pro ratione naturali: alii pro conditione: pro moribus: pro induſtria: pro inclinatione: pro indole: & conſuetudine.*

Dico autem de his Philoſophis, quòd nullus eorum divinatus eſt, & certificavit civitatem: Quo tempore in corde naſcentis jus naturæ oritur, puераſcit, adoleſcit, matureſcit, ſeneſcit, ut ſe natus homo in juſto gradu imperii naturalis, aut legislationis ſiſtat, & non attentet mutationem ejus.

Jus quidem naturæ radicaliter & abſolutè conſideratum, prout eſt lumen Creatoris, & ſignaculum Imaginis DEI, nemo dubitat, quòd per hominem immutabile eſt: ſpectatum tamen in libero homine uſualiter & in exercitio, quantam ex ſubjecto patitur alterationem & mutationem, quis non videt in exemplis primis vel ipſius *Adæ*, qui præceptum affirmativum: *Credendi DEO revelanti:* attentavit apud ſe commutare in negativum: *Non credendi:* vel ipſius Caini, qui præceptum negativum DEI: *Non Occides*: poteſtate primogenituræ ſuæ commutavit in affirmativum ſibi: *occides?* Invidebat enim gratiorem eſse Abel coram DEO, quàm ſe, & eadem licentiâ, qua utebatur in mactandos boves, piſces, & aves, uſus eſt in fratrem.

Ideoque ſi in homine viva lex ſit mortua, & ex lumine naturali fiunt tenebræ: ſicut Isaias clamat C. 5 v. 20. *Væ! qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*: & ſicut Chriſtus ipſe admonuit Luc. c. 11. 34. *Vide ergo, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint*: Et quæ tandem ex hac mutabilitate juris certitudo veritatis & juſtitiæ à natura corrupta pro civitate expeti, aut ſperari poteſt? quoniam ab origine, ecce hæc natura hominis *parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Psalm 7.

Hinc inferendum eſt, quòd Naturaliſtæ Philoſophi pro Civitate certitudinem veritatis & juſtitiæ in ſuo jure naturæ ſtatuere non poterant, licèt multoties excluſis Revelationum legibûs tentaverant & tentant.

§ V.

De ignorantia Jurisprudentum naturæ.

Nemo prudens perfectionem medici in legibus corporis laudat, judicioque ejus acquieſcit, niſi porro illius, qui ſaltem anatomico examine & ſtudio, leges & officia membrorum corporaintus examine & ſtudio, leges & officia membrorum corporalium neceſſariò cognoverit, qui ſimul defectus actionum vitalium, an a vitio naturæ communis, an ex progenitoribus, an ab individuo patiente, an demum a ſupremo Plaſmatore & Conſervato-

tore permittente, irrepserint, apprimè intellexerit.

Pariter, quis sanus Jurisprudentibus naturæ acquiescere potest in Civitate, ubi illi nec anatomiam animæ, nec tabulas cordis legiferas, nec rectitudinem, vel obliquitatem Rationis, nec consensus voluntatum & inclinationes uniformes ab intra spiritûs humani cognoverunt, didicerunt, collegerunt: ut collectionem suam, pro justa, legali, certa & immutabili regula societatum ponerent? Ideo Rex Salomon revelatus pronuntiavit *Eccl. c. 11. 5. Quomodo ignoras, quæ sit via spiritûs, & qua ratione compingun-tur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera DEI, qui fabricator est omnium.*

Ergo Jurisprudentes naturæ ad regimen Civitatis & Scholam gratis adhibentur, postquam DEUS summus cordium scrutator & Legislator ad volumina Fœdorum suorum collegit & redegit jura Voluntatis suæ, & jura voluntatis hominum, eaque Regibus suis revelatis per Ecclesiam veterem & novam uti Magistram revelatricem, ad tenendum imitandumq; in spiritualibus & temporalibus sub nova maledictione proposuit & imposuit; Quibus voluminibus, eorumq; veritati & justitiæ, si Jurisprudentes naturæ sese opponunt, oppositiones eorum affectatas quis prudens non advertit? quia eas faciunt per Regna & Civitates Christianorum, ut primatum independentiamq; sibi statuant, Revelationes autem DEI in Ecclesia gentiliter fugiant, & rescindant a Civitate.

Subsumunt illi: Autne Regna mundi circa leges regiminis naturales, usque nunc a DEO non sustinentur?

℟. Certè sustinentur, ast in testimonium & pœnam servitutis peccati: prout DEUS per Prophetam Semeiam ad Roboam Regem, & Principes Juda declaravit. 2. *Paralip. c. 12. 4. & 8.* „ *Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum.*

Quamobrem si de veritate & justitia naturali latent nos testimonia tabularum cordis & spiritus legitima, authentica, universalia, & consona legibus æternis: Consequens est, nos omnes pro ignorantibus reputari; necessitasq; nos urget, ut talem veri-

tem & justitiam naturæ lapsæ quæramus in solis Codicibus Testimoniorum DEI infallibilibus.

Enimvero DEUS non sine ratione iniquitatis Civilis, avocavit Patrem *Noë* ex societate naturali, & transtulit unicum justum ad arcam revelatam in diluvio aquarum, & novo pacto eundem obligavit. Avocavit iterum *Abraham* Patrem de Terra Chaldæorum ad privata tabernacula in terram Chanaan cum pacto abrenuntiationis suæ cognationi naturali & possessionibus Civilium. Avocavit totum *Israëlis Genus* ex societate Ægyptiorum naturali in locum desertum, idq; cum pacto reparandæ & instituendæ Religionis revelatæ per Leges Scripturæ, necnon ad reparandam justitiam naturæ corruptæ, prout ex Historia sacra mundo notorium est usque ad adventum Regis Christi; *Gen: c. 5. & 6. Gen: c. 12. & seq. Exod. c. 3. & seqq.*

Quid itaque Naturalistæ magis veri & notorii supra hæc ad scholam & homines excogitare & proferre possunt? Equidem etiam Rex Salomon ante adventum Religionis Christianæ revelatus & naturalium discretor contra ipsos est: atque exempla Principum naturalisantium olim in Civitate explodunt eorum prætensam rectam rationem.

CAPUT IV.

De Exemplis Vetustis Regum naturalisantium.

§ I.

Exponuntur Exempla Historiæ Sacræ.

1. Omittamus vetustiora: sed Nabuchodonosori Regi Babyloniorum in terris maximo revelatio facta est de Regno Christi, & Regnum cœli annuntiatum illi fuit a captivo Daniele Propheta. *Dan: c. 2. 44.* Circa interpretationem somnii de statua fictili:

In

In diebus autem regnorum illorum suscitabit DEUS cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur ... Et omnes reges servient ei, & obedient. Dan: 7. 27.

Quid tamen hæc revelatio movit Regem naturæ? Ecce fecit ſtatuam aureum, & præcepit, *ut omnis populus, tribus, & lingua cadentes adorarent eam*. Nec Danieli Revelatori pepercit: Etenim nolens Daniel cum ſociis ſuis adorare ſtatuam, reſponſum de pœna fornacis ardentis receperunt a Rege dicente: *Et quis eſt DEUS, qui eripiet vos de manu mea?* Dan: c. 3. 1. Eſtne quæſo hæc recta ratio naturalis imperandi?

2. Filius Nabuchodonoſoris Baltaſſar uſus eſt jure naturæ in contemptum veteris Religionis revelatæ, ac epulando cum Optimatibus regni ſui bibebat ex vaſis ſacris aſportatis de templo Jeruſalem ad laudem & cultum deorum ſuorum: *Bibebant vinum, & laudabant deos ſuos*. Dan: c. 5.

Et quid? jus naturæ eum non reprehendit, Revelatio in Scriptura. *Mane, Thecel, Phares*: reprehendit, & ſceptrô privandum eadem nocte judicavit, quod impletum eſt.

3. Darius quoque Rex propoſuit Edictum, quòd nullus intra triginta dies peteret quidquam a quocunque Deo, vel homine, niſi ab ipſo Dario. *Dan: c. 6. 7.*

4. Erat idolum in Babylone, quod Rex quotidie adorabat, hoc cum Daniel Propheta ſubvertiſſet, mox Babylonii draconem adoraverunt. *Dan: c. 14. 3.*

5. Jeroboam Rex naturaliſans, in averſionem populi DEI a templo Jeruſalem & a Regno Roboam, excogitato conſiliô, fecit duos vitulos aureos, & dixit ad populum: *Ecce dii tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* ,, *3. Reg. c. 10.*

6. Manaſſes Rex Juda gentiliſando in jura naturæ erexit aras Baal, & adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam. *4. Reg. c. 21. 3.*

7. Rex Antiochus juſſit adorari idola, ædificare aras, & templa, & immolari carnes ſuillas. *1. Machab, c. 1. 6.*

Hæccine erit gloria majeſtatum juris naturæ ante adventum Religionis Chriſtianæ, ut eandem principes noſtri imitentur, aut ſerviant poteſtati dæmoniorum antiquæ?

§ II.

§ II.

Adducitur Oratio Salomonis Regis revelati: qua invocat Sapientiam æternam, id eſt Chriſtum, ad aſſiſtendum ſibi in regimine populi, ,, *Sap. c. 9. per totum videatur - & ſeq.*

1. *DEUS Patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbô tuo.*

2. *Et ſapientiâ tua conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta eſt.*

3. *Ut diſponat orbem terrarum in æquitate & juſtitia, & in directione cordis judicium judicet.*

En Verbum & Sapientiam DEI, quæ conſtitutrix hominis fuit ad dominandum & diſponendum in terra, aſt in altiſſima directione cordis: Et hæc directio juſtitiam revelatam ac dependentiam importat!

4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis.*

5. *Quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii, & legum.*

6. *Nam & ſiquis erit conſummatus inter filios hominum; ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum compu tabitur.*

En perfectio naturalis in homine, abſque aſſiſtrice ſapientia DEI reprobatur!

7. *Tu elegiſti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum, & filiarum.*

8. *Et dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparâſti ab initio.*

9. *Et tecum ſapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc, cum orbem terrarum faceres; & ſciebat, quid eſet placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.*

En rex & judex filiorum DEI revelatus, templum & altare niſi revelatum in monte ac civitate ædificat, idque ex concurſu ſapientiæ DEI, quæ eſt Chriſtus, & quæ ſola ſciebat beneplacitum atque directum in præceptis Altiſſimi!

10. *Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit apud te.*

11. *Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia.*

12. *Et erunt accepta opera mea; & diſponam populum tuum juſtè, & ero dignus ſedium patris mei.*

En rex miſſionem Sapientiæ Chriſti de cœlis ad opera ſua dirigenda implorat, ut dignus ſedium patris ſui David fieret.

13. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium DEI? aut quis poterit cogitare, quid velit DEUS?*

14. *Cogitationes enim mortalium timidæ; & incertæ providentiæ noſtræ.*

15. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.*

En imbecillitas rationis naturalis, & cauſæ directionem cogitationum humanarum exigentes!

16. *Et difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore: Quæ autem in cœlis ſunt, quis inveſtigabit?*

17. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?*

18. *Et ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris: & quæ tibi placent, didicerint homines.*

Ecce cognitio terrenorum & civilium homini difficilis eſt, (ait Salomon) ſine ſapientia verò, & Spiritu ſancto, quis in occultis non errabit?

19. *Nam per ſapientiam ſanati ſunt, quicumque placuerunt tibi Domine a principio,* Ibidem *c.* 9. Jam autem *c. 10.* addit idem *Salomon. v. 1. & 2.*

1. *Hæc illum, qui primus formatus eſt a DEO pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit.*

2. *Et eduxit illum a delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.*

En Sapientiâ DEI æterna, (id eſt Chriſtus) fuit Adamo coæva, cuſtos primorum hominum, ſanatrixq; delinquentium, qui ſperaverant in ea, & non in ratione ſua naturali!

Ad-

§ III.

Adducitur antiquum Salomonis judicium, & exemplificatio de Naturaliſtis recedentibus a revelatione, & ſcientia DEI, quomodo in amorem ſuorum carnalium & idololatriæ inciderint. *Vide Librum Sapientiæ cap. 13. v. 1. & ſeq.*

Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia DEI, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt: neque operibus attendentes, agnoverunt, quis eſſet artifex,

Sed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt:

Quorum ſi ſpecie delectati deos putaverunt; ſciant, quantò his Dominator eorum ſpecioſior est; ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit.

Item *Libr. Sapient. c. 14. v. 12. & ſeq:* enarrat Rex Salomon.

Initium enim fornicationis eſt exquiſitio idolorum; & adinventio illorum, corruptio vitæ eſt.

Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia.

Ecce principium religionis ſacrorum & ſacrificiorum, olim ex inſtitutione civili adinventum!

Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua conſuetudine, hic error, tanquam lex, cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperiô colebantur figmenta;

Et hos, quos in palam homines honorare non poterant propter hoc, quòd longe eſſent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tanquam præſentem colerent ſua ſolicitudine.

Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt. Ibid. v. 21.

Ecce pravi naturæ uſus pro legibus introducti & cuſtoditi ſunt in fraudem Religionis Protoparentibus primis revelatæ, vigebantq; vel imperio, vel affectu civili, ad deceptionem vitæ rectæ, inſpirati!

Et

Et non ſuffecerat errâſſe eos circa DEI ſcientiam, ſed & in magno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Ibid.

Neque vitam, neque nuptias mundas jam cuſtodiunt; ſed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contriſtat.

Et omnia commiſta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio & infelicitas, turbatio & perjurium, tumultus bonorum.

Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.

Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, & initium & finis: Ibid. per tot: dicit Salomon.

Obſervatio.

Et quis ſanus Philoſophus, aut Jurisprudens naturæ ſtatum talem a Salomone Rege quondam deſcriptum, & impartialiter contra Naturaliſtas in ſpiritualibus & civilibus teſtificatum, ad legem rectæ rationis referre poterit: ut Regibus & Principibus noſtris *ſummam & independentem authoritatem* ex lege naturæ in Eccleſia vel Civitate attribuat talem, qualis ante Legem Judaicam, & ante adventum Religionis Chriſtianæ, independenter a DEO furtim poſſidebatur?

Attamen Exempla ex veteri & ſacro Codice de Regibus naturæ, & Regibus revelationum adducta, non ſunt vanæ ſcripturæ, aſt teſtimonia genuina Prophetarum, ut nobis ad ſecernendum jus bonum a malo, imperium rectum ab obliquo, deſerviant.

Equidem cùm olim ſcientia & gubernatio DEI dolô elongabatur a majeſtate Reipublicæ, ob delectationem hominum in ſpeciebus creatis: cùm & ipſa idololatria principium habuit ex amore ſuorum filiorum, vel principum carnali; autne hæc ignorantia rectæ rationis, quæ contaminavit ſæculum vetus, pariter non contaminat etiam hoc Redemptionis Chriſtianum tempus? Non videmus quidem hodie in Europa corporales idolorum cultores, videmus autem cultores idolorum in ſpiritu, in doctrina gentili, atque in falsa lege naturæ, quam legem DEUS revelator procul abeſſe juſsit a terra ſua ſancta, ut ſe redemptus populus in Chriſto cuſtodiret immaculatum ab hoc ſæculo, & Spiritui Revelationis altiſſimo pænitus ſubmitteret. Unde ſit

 PARS

PARS SECUNDA

Sermonis Apologetici de Regno Christi, & Officiis Principum.

CAPUT I.

De Natura Regni Christi.

§ I.

Propositio: Luc: c. 17. 20. & seq. *Interrogatus autem Jesus à Pharisæis: Quando venit regnum DEI? Respondens eis dixit: Non venit regnum DEI cum observatione, Neque dicent: Ecce hìc, ecce illic. Ecce enim regnum DEI intra vos est.*

Resolutio Christi, en indicat naturam regni DEI, quòd non sit materiale, limitibusque temporis, loci, aut terrena figuratione demonstrabile: sed est omnino formale, spirituale, & Divinum, quod in Legibus revelatis, & in præceptis vitæ ac disciplinæ Christi ubique per fidem credentium dominatur, plenamque obedientiam veritati & justitiæ cœlesti ab hominibus exigit, tanquam Theocraticum & universale.

Unde Augustinus *Lib: 2. de Serm: Domini in monte c. 14.* distinguit servitium mammonæ à servitio DEI, dicens: *Sed qui servit mammonæ, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus, magistratus hujus sæculi à Domino dicitur.*

Q. Quid est autem hocce *regnum DEI intra nos*? ℟. Nonne Rex ipse Christus, & Regnator demissus ab alto ad infima humanitatis nostræ dirigendæ in humilitate? Equidem associat sibi suoque regno solos humiles *Marc. c. 10. 15.* dicens: *Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum DEI velut parvulus, non intrabit in illud.*

Observatio.

Hæc Lex Regni DEI provocans etiam Magistratum seniorum ad statum parvuli, nonne videtur repugnare juri prætenso naturæ? Et quid quæso rectæ rationi præjudicat hæc Lex fœderalis, si vo-

si vocat Principes naturæ, ut se exuant statu antiquo, & degenerent in parvulos obedientiæ, & non jam imperii potentes sub Rege Christo? Apertus quippe concederetur dolus in regnum DEI ex duplicitate cordis: si Principes dixerint Christo in Ecclesia, quod gratiâ DEI regnamus: in Civitate verò contradicerent, quòd naturæ antiquæ gratiâ sumus Reges. Ideo & Petrus Apostolus 1. Petr. c. 2. 2. monet Naturalistas: *Deponentes igitur omnem malitiam, sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite.*

§ II.

Proposuit ideo Christus *Joan: c. 3. 6.* Nicodemo principi necessitatem regenerationis dicens: *Oportet vos denuo nasci. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI.* Declaravit autem hanc necessitatem legis regenerandi Paulus Apostolus *1. Cor. 15. 15.* ex duplicitate hominis animalis & spiritualis, interioris & exterioris, qui duplicitatem paternitatis in primo & secundo Adam obtinet, dicens: *Primus homo de terra terrenus, secundus Homo de cælo cælestis: Primus factus est Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem:* & concludit idem Apostolus Ibid. *1. Cor. 15.* „ *Igitur sicut portavimus imaginem terreni Adam, portemus & Imaginem Cælestis.*

Observatio.

Posita igitur sub Christo regeneratione hominis, necesse jam poni novam paternitatem, novam filiationem, novam societatem, novam legem, novam majestatem, & novum regnum in Christo novissimo Adam, atque fieri ex republica non DEI, rempublicam DEI: prout clarè erudivit nos Petrus Apostolus *1. Petr. 2. 9.* de Regenitis: *Vos autem genus electum, populus acquisitionis: qui aliquando non populus, nunc autem populus DEI.*

Et quandonam, vel ubi, jus naturæ & ratio prætensa recta in homine jussit taliter hominem denuo nasci, sicut revelata Lex jubet? Imò hac Lege jubente, illud jus naturæ assertum acriter prohibebat, ne populus civitatis fieret populus DEI, & subderetur regno Christi.

§ III.

Repropoſuit utique princeps Nicodemus Chriſto materialem opinionem ſuam *Joan: c. 3. 4.* ,, *Numquid homo poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?*

Reſolvit verò naturaliſantem Chriſtus, & ad formalia rationis reduxit dicens: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: Et quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt: Tu es Magiſter in Iſraël & hæc ignoras? ſi terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* ,, *Ibid: v. 6. 10. 12.*

Ex qua doctrina patet, duplicem in terris generationem filiorum, carnalem videlicet & ſpiritualem haberi, atque duplex filiorum genus, terrenum & cœleſte ſuſtineri: Quemadmodum & Apoſtolus Petrus *1. Petr. c. 1. 23.* explicavit docens: *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per Verbum DEI vivi, & permanentis in æternum: quia omnis caro fœnum.* Ut ſic Regnum Chriſti formale, à regno carnis animalico & materiali condiſtingueretur.

Deinde patet: Quia prætenſa recta ratio naturalis in ſua legis opinione captivari & deponi debet, ubi eam ratio regni DEI pro non recta & ignorante judicat: *Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras: quòd oporteat vos denuo naſci?* Ut ſic ſocietas materialis & animalica renaſceretur atque elevaretur in formalem ſocietatem ſecundùm Imaginem cœleſtis Adæ, & abjiceret imaginem corruptibilem terreni Adæ. Quoniam illa ſocietas materialis ſecundùm legem carnis vixerat, hæc verò ſocietas formalis ſecundum legem ſpiritûs vivere tenetur.

§ IV.

Ideo natura regni DEI eſt in Chriſto, aſſociare & affiliare receptores ſuos poteſtati DEI: ſicut Evangelium *Joan: c. 1. 12.* declarat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios DEI fieri, his, qui credunt in Nomine ejus: Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt.*

Ex qua lege ſpiritûs, videant Naturaliſtæ inæqualitatem filiorum carnis cum Filiis ex DEO natis: quoniam hi privilegiantur & adoptantur in poteſtatem hæreditatis DEI, illi excluduntur. Quinimo ſibi inferant, Eccleſiam Regni Chriſti poſitam eſſe ſupra æqualitatem regni naturæ, quia jus naturæ abſque Chriſto neminem filiorum ponere poteſt in æquali ſtatu privilegii & adoptionis DEI, neque religio naturalis abſque Religione revelata ad hujusmodi ſocietatem filiorum DEI attollere poteſt, atteſtante Apoſtolo Gentium *Rom: c. 3. & 1. Cor. 7. 19. & ad Galat. c. 6. 12.* „ *Etenim neque Circumciſio, neque præputium quidquam valet, ſed nova creatura in Chriſto.*

Ergo regnum naturæ, atque religio & eccleſia naturalis tanquam repugnantia regno DEI, inutiliter Civitatibus per Naturaliſtas proponuntur & propugnantur. Quando

§ V.

Natura Regni DEI eſt comprehenſiva regni naturæ, & dominatrix in lege ac poteſtate ſpiritûs ſuper mentes & corpora hominum Chriſto fidelium.

Rex enim hujus Regni Deus & Homo eſt, utriusque naturæ in ſe conciliator, ſubordinator, & Rector, qui dominium tenet nedum in cœcitatem animæ, juxta illud *Joannis c. 1.* „ *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; verùm quoque tenet poteſtatem in fragilia corporis, juxta illud Matt. 11. 5. *Euntes renuntiate Joanni, quæ vidiſtis & audiſtis: Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*: ut totum hominem revindicaret de poteſtate & dominio ſathanæ, ut ipſemet Rex Chriſtus de ſe pronuntiavit *Luc: c. 11. 20.* „ *Porro ſi in digito DEI ejicio dæmonia, profectò pervenit ad vos Regnum DEI.*

Talemque ipſam ſuam poteſtatem reliquit Eccleſiæ Regni ſui apud Matthæum c. 10. v. 1. *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem langvorem.* Imò ſolusmet idipſum ad Apoſtolos expreſſit Luc. c. 10. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

Ob-

Obſervatio.

Igitur poſita tali naturâ Regni Dei in Chriſto, jam regnum naturæ humanæ cum ſuis majeſtatibus infirmum & captivum eſt ſub poteſtate dæmoniorum, niſi etiam in ſocietate reipublicæ ſuæ corporalis renaſci, liberari, ac ſubmitti voluerit Regno DEI revelato. Hinc illæ doctrinæ Naturaliſtarum de eccleſia & religione naturali, atque de jure naturæ corrupto, ſuperiùs *P. 1. Cap. 1. de Contradictionibus* inter jura revelata ſubintruſæ, pro extravagantibus, & vanis apud Principes terræ haberi debent. Etenim illæ poteſtatem dæmoniorum non feriunt, ſed ſtabiliunt: Majeſtates non ſanctificant, ſed in profanis relinquunt.

Si quippe Civitas, ut Civitas ſeu nidus naturalis per ſe neminem regenerat, neminem ſanctificat, neminem à poteſtate dæmonis liberat, & ſanat: Et quomodo illa ducem veræ Eccleſiæ DEI agere poteſt, aut veram paternitatem in filios prætendere in illis Regulis Rieggerianis valet?

Et quidem poſita Civitate, hoc ipſo Eccleſiam eamque inæqualem erit neceſſe poni.

Primi in Civitatem coëuntes & paciſcentes, poſſunt aliter de Eccleſia conſtituenda, & de poteſtate Eccleſiaſtica inter ſe convenire.

Religio illa dicitur approbata, quæ à Civitate & Republica approbatur. &c. &c.

Has enim regulas Reparator naturæ Chriſtus, nec docuit, nec ſecutus eſt, nec paciſcendi ſic vel aliter de Eccleſia Regni ſui in Veteri & Novo Teſtamento penes Nidificatores Civitatum, libertatem reliquit, poſtquam regenerationem modumq; regenerationis in natura corrupta omnibus redemptis ſuis uniformem neceſſariò impoſuit: *Oportet vos denuo naſci; Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum DEI:* Joan: c. 3. Et rurſus: *Quisquis non receperit Regnum DEI velut parvulus, non intrabit in illud.* ,, *Mar: 10.*

Ecce enim Regnum DEI intra vos eſt. ,, *Luc: 17.* Et hoc eſt Eccleſia, Dux, atque Mater parvulorum. Et hoc eſt ſanctuarium Legis, atque depoſitorium miniſteriorum DEI, ut infra patebit.

CA-

CAPUT II

De Præstantia originali, & veteri Dominio Regni Dei in Christo.

§ I.

Deus per Revelationes Adamo coævas, & per Pacta promissoria Christi, regebat Ecclesiam mundi: mundus autem resistebat Deo.

1. Lex enim DEI providens rebus creatis magistratum, præcessit hominem & existentiam ejus. Gen: c. 1. 26. ,, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæq; terræ.*

2. Lex iterum benedictionis & traditionis terrenorum, præcessit usum juris naturæ in homine. Ibidem *v. 28. Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete eam, & subjicite eam: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.*

3. Lex deinde benedictionis & sanctificationis diei septimæ præcessit exercitium Religionis Adamiticæ. Gen: c 2. v. 3. ,, *Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret.*

4. Præceptum denique DEI restrictivum escarum sub rigore mortis, præcessit usum legis temporalem. Gen: c. 2. v. 16. ,, *De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

5. Leges demum pœnales a Deo promanârunt in prævaricatores præcepti revelati, antequam homo suo victu & amictu exulari, juribusq; œconomicis suis uteretur; signanter illa lex luctatoria inter mulierem & serpentem deceptorem, quæ prædicebat *Semen Victoriæ Christum: Gen: 3. 15. ,, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & Semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Porro & illa corruptionis statutaria lex *v. 19.* ibidem: *Adæ verò dixit: In sudore vultûs tui vescêris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.*

Quid

Quid igitur ex his religiosis DEI Legibus infertur contra Naturaliſtas? nonne evidens præſtantia Regni DEI, & dominium ejus revelatum, in dirigendo & coërcendo jure hominis, ab initio mundi? Nonne ſimul & originalis præſtantia Eccleſiæ Chriſti, ſupra quandam eccleſiam civilem & naturaliſantem deducitur? Etenim quæramus ab exordio peccati

1mò. Quis finis fuerat ſtatûs naturæ exulis, & religionis ejus pœnitentialis? ℟. Chriſtus.

2do. Quis fuit finis ſtatûs Legis ſcriptæ? ℟. Chriſtus.

3tiò. Quis fuit finis & eſt ſtatûs Legis gratiæ? ℟. Chriſtus.

Sed quæritur, Ad quid? Ad ſpem & juſtitiam omni credenti in Chriſtum Mediatorem, ut credens pœniteret & reconciliaretur DEO: non minus, ut ſe contineret intra juſtitiam Regni DEI, à qua originaliter excidit, atque intra innocentiam vitæ ſuæ, qua ſeipſum ſpoliavit, & ſpoliat!

Obſervatio Hiſtorica ex Literis Sacris.

Lex Religionis (ut ajunt) Naturæ, quæ ad diſtinctionem Legis ſcriptæ dicta eſt naturalis, reipſa tamen in vocali DEI revelatione, & traditione Patrum conſiſtebat, quia ob ſpem Chriſti conſiſtebat in credendis & agendis: nemo autem credit nisi ex auditu, & per verbum DEI; Hæc inquam lex ab Adamo uſque ad Moyſen annos circiter duo millia quingentos tenuit.

Tertiam hujus ævi totius partem Adamus vivendo explevit, qui ad annos 930. vitam ſuam produxit, totamque partim agendæ pœnitentiæ, partim in erudiendis in fide & cultu Meſſiæ venturi poſteris ac nepotibus, dedit & conſumpſit.

Inter quos poſteros credibiliter majori ſtudiô fidelem *Abel*, *Seth*, *Enos*, *Cainan*, *Malaleel*, *Jared*, *Enoch*, *Mathuſalem* & *Lamech* docuit: quia hi omnes, de quorum ſtemmate DEI Filius naſciturus erat, *Adamum* viderunt, & ex ore ejus promiſſum Salvatorem audierunt, Eccleſiamque juſtorum ac ſperantium in Chriſtum patriarchaliter in cognationibus ſuis ſuſtinuerunt, uſque ad Noë.

Iſti

Isti enim Noëmo, qui paulò post Adami obitum mundo fuerat natus, narraverunt: præsertim *Lamech & Mathusalem*; hic avus, ille Noëmi pater filium hunc suum erudierunt: cui Noëmo annis ferè sexcentis ambo convixêre. Lamechus quippe unico ante diluvium anno, Mathusalem verò sub ipsum cœpti diluvii tempus diem suum obiit.

Post diluvium *Noëmus* Messiæ futuri notitiam, annîs plusquam trecentis, quos supervixit, filiis suis & nepotibus usque ad Abrahæ nativitatem communicavit. Sem etenim primogenitus Noëmi Abrahamo usque ad vigesimum Isaaci annum convixit.

Isaacus a Semo & patre Abrahamo doctus ad filium suum Jacob, is verò ad duodecim Patriarchas filios suos pulcherrimam notitiam actorum creationis mundi & Revelationum DEI in sancta expectatione Christi propagârunt, & paulò ante Moysen superstites, ulteriùs eandem tradiderunt. Moyses denique ad id usque tempus ea, quæ tradita fuerunt, assistente Spiritu & Sapientia DEI literis consignavit, ad obfirmandam in electis filiis promissionem & expectationem Messiæ.

Ideo Christus ad fidem Scripturis Mosaicis adstruendam pronuntiavit infidelibus Pharisæis: *si crederetis Moysi, crederetis forsan & mihi, de me enim ille scripsit*. Joan. 5. 46.

§ II.

Deus per Legem revelatam dominans omnia naturalia diluviò perdit, & cum solo justo Noë paciscitur.

Quoniam in statu naturæ corruptæ jam separatio filiorum Ecclesiæ DEI sperantium in Christo, a filiis hominum naturalisantium, revelata & facta viguit; neque licuit fidelibus DEI commisceri cum infidelibus. Filii verò DEI juxta testimonium Scripturæ *Gen: c. 6. v. 2. & seq:* sese commiscuerunt: *Videntes filii DEI filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant:* Mox displicuerunt Deo, dixitque Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Ibid v. 3. Hinc sententiam suam protulit ad Noë: *Finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam*

eos cum terra. Ibid. v. 13. *Fac tibi arcam de lignis levigatis, manſiunculas in arca. v. 14.* Et Gen: c. 7. v. 1. *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi juſtum coram me in generatione hac.*

Poſtquam igitur delevit Deus per aquas diluvii omne genus, & univerſas ſocietates civium terræ: ait Scriptura, quòd Noë juſtus non prius cogitavit de civitate, ſed de altari ædificando, ſacrificiisque Deo immolandis: *Ædificavit autem altare Domino, odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitatis:* quoniam oblatio erat de ſolis mundis ſuperviventibus; Et ait Deus ad Noë: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: Ecce ego ſtatuam pactum vobiscum, & cum ſemine veſtro poſt vos.* Vide Geneſim c. 8. 20. & c. 9. v. 1. & ſeq. per tot.

Obſervatio.

Videant Naturaliſtæ: *1mò.* Quid ergo nunc præſtat, an Lex revelata, an lex naturæ? an Revelatio tollere poteſt & immutare naturalia, vel naturalia derogare aut reſcindere Revelationem DEI poſſunt? Ubi enim ſtante dominio DEI revelato eſt jus & poteſtas naturæ? ubi civitas? ubi majeſtas? Ecce eſt in aquis Diluvii! Ubi autem eſt Eccleſia filiorum Revelationis? Ecce in arca ſalutis, & in tabernaculo Salvatoris! *2do.* Quis poſt Diluvium poſuit primum altare placationis DEI, antequam turris & civitas Babel ſurgeret? Ecce filius Revelationis Noë! Quis paciscebatur cum Deo ſuper nova traditione, & poſſeſſione terræ: ſuper non comedenda carne cum ſanguine: ſuper non fundendo ſanguine hominis, & ſuper aliis præceptis ſocietatis electæ? Ecce filius Revelationis Noë! Quis demum novus fuit excitator poteſtatum & magiſtratuum juſtitiæ in terris depopulatis & deſertis? Ecce paciſcens filius Revlationis Noë, qui fuit in ſalvatione ſeminis Adamitici indubitata figura Salvatoris Regis Chriſti!

Quid itaque Naturaliſtæ noſtri ea, quæ ex legibus & ſcripturis revelatis hauriunt, nomine juris naturæ in ſcholis civilibus baptizant? Autne Deus non ſatis ſufficienter poteſtatem juris & dominii ſui revindicavit ab hominibus naturæ, quos ut perfidos exuit

omni

omni usu & possessione terrenorum, omni ratione juris & jurisdictionis, ipsaque vitâ privavit, quatenus jus suum ad unicum virum Noë revelationis custodem transferret, tanquam ad fidelem Patrem, & Imaginem promissi Christi, in Ecclesia ac Civitate?

Ergo a revelatis regni DEI legibus, sacris & civilibus nemo Naturalistarum auferre potest prioritatem præstantiamque sive in religione, sive in imperio dominii, eamque juri naturæ prætenso hominum attribuere. Quoniam

§ III.

Pacta Noachitica propter Christum cum Deo facta, afficiunt omne genus hominis & animalis.

Sequuntur articuli pactorum postdiluvianorum. De anno mundi 1656. ante Christum 2348.

Quandoquidem Rex Christus *Matth: c. 24 v. 38.* adventum judicii sui similem fore dixit, sicut fuit adventus diluvii super incredulos naturalistas in tempore Noë: *Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam: Et non cognoverunt, donec venit diluvium & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis*: jam ille præmonuit nos, quomodo ad revelata antiqua Noachitica attendere, & pacta DEI, quæ figurabant & prænuntiabant Salvatorem ac Judicem universi, contemplari ex scripturis Moysaicis, & custodire debeamus, ad salutem temporalem & æternam. Ideo articuli revelati post Diluvium erudiant nos:

1. *Locutus est autem Deus ad Noë, dicens: Egredere de arca, tu & uxor tua, filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, quæ sunt apud te, ex omni carne, educ tecum.,, Gen: 8. 15. & seq.*

Q. Estne hæc lex egressionis de arca, ex jussione rectæ rationis Noachiticæ, vel ex imperio DEI?

2. *Et ingredimini super terram: crescite & multiplicamini super eam* Ibid. v 17.

Q. Estne hæc lex occupationis terræ ex debito juris naturæ, an ex mandato Dominatoris terræ expresso & positivo?

3. *Egreſſus eſt ergo Noë, & omnia animantia egreſsa ſunt de arca. Ædificavit autem Noë altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. Odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitati.* Ibid. v. 18. & 20.

Q. Eſtne hæc religio & oblatio de cunctis pecoribus & volucribus mundis, ex pactione civili, vel revelatione Altiſſimi?

4. *Et ait Dominus: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem ſicut feci.* Ibid. v. 21.

Q. Hæc promiſſio non maledicendi terræ eſtne ex merito juſtitiæ humanæ, vel ex gratia Miſeratoris DEI?

5. *Cunctis diebûs terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies, non requieſcent.* v. 22.

Q. Hæc lex conſervationis miniſterii ſublunarium propter homines, eſtne à natura rerum, vel à Providentia DEI appromiſſa, & gubernatrice?

6. *Benedixitq; Deus Noë & filiis ejus, & dixit ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Gen. c. 9. v. 1.

Q. Hæc Benedictio & religioſa DEI apprecatio pro filiis terræ, eſtne fons religionis principians de terra, vel de cœlo?

7. *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli.* Ibid. v. 2.

Hoc jus poteſtatis in animalia eſtne humanum, vel Divinum?

8. *Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Ibid v. 3. & ſeq.

Q. Hæc lex traditionis rerum de novo facta a Jurisdatore quomodo erat humana, & cordi impreſsa, ſi a Deo Noachitis denuo intimatur?

9. *Excepto, quòd carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum: & de manu hominis.* Ibid.

Q. Hæc exceptio limitans legem cibi, & reſervans vindictam DEI etiam in beſtias ſanguinárias, eſtne juris religioſi, an œconomici, & civilis?

10. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imagi-*

ginem quippe DEI factus est homo. Ibid.

Q. An stante hac lege revelata, jus gladii rectè dicitur juris civilis & naturalis?

11. *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos.* Ibid. v. 9.

Q. An hæc lex pactionis præliminaris cum Noachitis, non promittit & non importat ulteriora pacta DEI facienda cum semine eorum post illos, id est, cum semine Noachitico Abraham, Isaac, Jacob, tanquam electo semine Christi adeò, ut homo non regatur de cætero, nisi conformiter ad pacta & fœdera DEI revelata?

12. *Et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quàm in jumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & universis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii.* Ibid. v. 10. & 11.

Q. An hac lege pacificationis non disertè comprehenduntur etiam animalia quævis per arcam DEI salvata, & reservata alto dominio DEI, ut de illis etiam ulteriori fœderis lege in scripturis ordinaretur & caveretur jus pro Domino?

13. *Dixitque Deus: Hoc signum fæderis quod do inter me & vos & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, in generationes sempiternas.* Ibid. v. 12.

14. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fæderis inter me & inter terram.* Ibid. v. 13.

15. *Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fæderis sempiterni.* Ibid. v. 16. & seq:

Q. An ex parte sua Deus his pactis stetit?

℞. Arcus in signum fœderis positus sæpe de nubibus clamat ad Naturalistas pro Deo, quomodo recordatur pacti sui, ut non interficiat maledictionibûs extremis terram. Mundus verò ex parte sua naturalisans obliviscitur horum, ut independentiam a pactis sibi super ratione juris naturalis statuat, & æmuletur cum Deo. Fœdus nihilominus Noachiticum solemne fuit, quia arcu cœlsti & publico signatum! Sacrum fuit, quia ad altare mundæ oblationis holocausti, quod Noë fecerat, est initiatum & promulgatum de cælo! Salutare fuit, quia promissorium ulteriorum pactorum cum semine Noachitico in ordine mittendi æterni Salvatoris Christi!

§

§ IV.

De Pactis cum Abraham Noachita

Renuntiativis jurium Naturæ.

1. *Gen : c. 12. v. 1.* Deus insistendo promissioni suæ in pactis initialibus Noachitarum dixit ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi: & obedivit Abraham.*

2. *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Ibid.

3. *Apparuit autem Dominus Abraham,* (in Terra Chanaan) *& dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Ibid. v. 7.

4. *Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ædificavit quoque ibi altare Domino, & invocavit Nomen ejus* Ibid. v. 8.

Advertant Naturalistæ, Abrahamum ædificare Deo primùm altaria, antequam civitatem!

5. Et quia rursus dixit Deus Abrahæ Gen: c. 17. v. 6. *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te:*

Ideo rursus stetit verbo suo, & pepigit fœdus progressivum cum semine Abrahæ Isaaco, Jacobo, qui fuerunt semen Noachiticum, & signanter in monte Sinai cum Israël populo per legem scriptam, sicut fassi sunt posteri Jacob, Deut. c. 5. 2. *Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.*

Q. Quis tamen scopus & finis horum pactorum DEI cum hominibus? Nonne vindicare genus humanum à maledicto peccati? nonne præparare semen Sancto sanctorum Christo Regi? Ut autem veritas pateat inconcussa pro omni statu Legis; quòd Deus fideles suos per revelata sua imperia gubernavit, infideles autem persecutus est naturalistas: hanc veritatem Paulus Israëlita Gentium Apostolus Epistolâ sua ad Hebr: c. 11. abundè declaravit de fide in Christum

§

§ V.

Incipit Epiſtola Pauli.

Status Legis naturæ ab ævo Adæ refertur.

1. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.
2. In hac enim *Teſtimonium* conſecuti ſunt ſenes. (a Deo)
3. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo DEI; ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.
4. Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſse juſtus, *teſtimonium* perhibente muneribus ejus Deo.
5. Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem; ante translationem enim habuit *teſtimonium* placuiſse Deo.
6. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.
7. Fide *Noë*, reſponſô accepto de iis quæ adhuc nonvidebantur, metuens aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ, & juſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.
8. Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit neſciens, quò iret.
9. Fide demoratus eſt in Terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac & Jacob cohæredibus repromiſſionis ejuſdem. Expectabat enim ſundamenta habentem civitatem: cujus artiſex & conditor Deus.
10. Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & offerebat *unigenitum* arbitrans, quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.

Sequitur ulterior Status ab ævo Moysis.

11. Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſse filium filiæ Pharaonis: Majores divitias æſtimans theſaurô Ægyptiorum *improperium Chriſti*.
12. Fide reliquit Ægyptum non veritus animoſitatem regis: *Inviſibilem* enim tanquam videns ſuſtinuit.
13. Fide celebravit Paſcha: fide tranſiit mare rubrum: fide muri Jericho corruerunt: fide Rahab meretrix non periit cum incredulis.

Ul-

Ulterior Status sub Lege Moysis.

14. Et quid dicam? (exclamat Apoſtolus) Deficiet enim me tempus enarrantem *de Gedeon, Barac, Jephte, David, Samuel, & Prophetis*: Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, facti ſunt fortes in bello, caſtra verterunt exterorum.

Claudit Epistolam Paulus pro Lege Christi.

15. Ideoque & nos tantam habentes impoſitam Teſtium nubem, curramus ad præpoſitum certamen, aſpicientes in *Auctorem fidei & Conſummatorem Jesum*.

16. Itaque *Regnum immobile* ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo cum metu & reverentia.

Obſervatio.

Ecce ſeries brevis fidelium Deo, & *Status naturæ, ſtatus legis, ſtatusque gratiæ*, ab Apoſtolo Paulo ſummariè recitatus. In quo fine conclusus? Ecce in *Authore fidei & Conſummatore Jesu!* Ecce in *Regno ejus immobili!* Ergo omnis ſtatus hominum pro fine habuit Chriſtum promiſsum, repromiſsum, & miſsum, & omnis ſtatus regebatur a Deo Creatore, per Verbum & Teſtimonia, per Repromiſſiones & Pacta, perque Leges Teſtamentarias, quæ fundabant regnum immobile Chriſti, & non regnum naturæ hominum.

Quod ſi Jurisconſulti naturales per diluvium ſuffocati fuerunt, per pacta continua Dei reſciſſi ſunt in Patribus juſtitiæ ac fidei revelatæ, adeò ut ſolus Noë paciſcens, ſolus Abraham paciſcens, ſolus ex regibus David paciſcens pro Jurisconſultis fidelibus a Deo relinquerentur ad benedictionem generationum terræ, ſicut ulteriùs patebit. Quis igitur legitimus pater Jurisconſultos naturæ novos ſuſcitavit, qualificavit, & expoſuit ad infirmanda, poſtponenda, vel reſcindenda per civitates jura & fœdera regni revelati? Sed

§

§ VI.

Expenduntur Pacta DEI regalia cum David.

Nathan Propheta consulens Deum pro parte regis David cogitantis: num debeat ædificare Deo domum in terris? 2. *Reg. c. 7. v. 17. & seq.* talia responsa DEI ad hunc regem pertulit.

1. *Ait Dominus: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: Ipse ædificabit domum nomini meo: & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.*
2. *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Ibid. v. 16.
3. Ad hæc autem respondit rex David ibid. 2. *Reg. 7. 18. & seq. Quis ego sum Domine, & quæ est domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed, & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum. Ista est enim lex Adam Domine Deus!*

Observatio

Hic Naturalistæ, si aliquam Deo & Scripturis ejus adstruunt fidem, subsistant necesse: De quonam semine suscitando post David loquitur Deus, an de Salomone, an de plus quam Salomone filio David Christo, ut thronus regni ejus stabiliatur in domo Davidica usque in sempiternum?

Attamen rex David, qui per lineam Noë, Abrahæ, Isaac & Jacob non fuit alius, quam Noachita & Israëlita, postquam se talium regalium perpetuorum indignum cum sua domo agnovit dicens: *Ista enim est lex Adam Domine Deus!* Igitur scivit hic rex, quòd talis lex regalis ab initio fuit Adæ repromissa, revelata, & competens Adæ tanquam capiti Gentium; quæ tamen non cecidit in aliud semen adimplenda, nisi proximè in Semen Davidicum, fidei *Authorem & Consummatorem Jesum. Hebr. 2.*

Quapropter pro Rege & Legislatore summo, non alibi semen relictum est & amplectendum manet, quàm in throno Davidico,

 quia

quia in hoc throno principatus Gentium Adamiticus consedit & stabilitus est, sicut idem David rex revelatus Deum interpellat 2. *Reg.* 22. 44. dicens: *Custodiet me in caput Gentium*. Atque in hoc throno Davidico quærenda est lex & justitia vera regnorum, tanquam privilegiata de cœlo & normalis ad omnes generationes Adæ. Ista enim lex sola erit propria DEI, propria Adæ, propria & naturæ reparandæ, ad quam universi ex pactis Patrum nostrorum cum Deo regnante conclusis, omnino trahimur & tenemur in terra.

§ VII.

Deus ob Christum promissum, manifestè regnavit per Legem suam scriptam, & Thronum justi regis David, voluitq; regnare per eandem legem in omnibus Gentibus terræ.

Quantumvis Naturalistæ abnegarent se esse Noachitas, quod non possunt: Quantumvis excuterent a sua ratione naturali pacta Noë, Abrahæ, Moysisque tabulas, sicut excutiunt, & dicunt: *Leges illas civitatis Hebraicæ nemo illis quòd imposuerit*: Cæterum adhuc ob superviventiam Testium Judæorum, thronum Davidicum revelatum ad Gentes supprimere, & regnum DEI formale abnegare nequeunt. Tantò magis nequeunt, quantò evidentiùs percipiunt, ex Prophetica Psalmodia regis David, quomodo a Deo per os hujus regis vocabantur reges & principes Gentium, ad submittendum se legibus & fœderibus regni DEI antiquis, priusquam regnum naturæ in civitate Babylonica sub Nabuchodonosore, Baltassaro, Dario, & aliis super jure independentiæ & viribus physicis consurrexit, ut abjiceret a se Dominum cœli & terræ, & ejus Christum. Testatur enim rex David pro Christo in Jerusalem regnans; & clamat ad Deum:

1. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Psalm. 2. v. 1. & seq.

En conspirationem gentilem adversus vincula fœderum antiquorum DEI, & assertum jugum subjectionis legibus. 2.

2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Ibid.

En, rex David prædicat ad gentes.

3. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ibid.

En præcptum, quod prædicatum est a Davide pro Christo!

4. *Annuntiate inter Gentes gloriam Domini: dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit: Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.* Psalm 95.

En Rex emissariis injungit prædicationem regni DEI inter Gentes.

5. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Psalm: 23.

6. *Dominus regnavit, exultet terra: Justitia, & judicium correctio sedis ejus.* Psalm: 96.

En invitantur Principes ad apertionem portarum Regi æterno, ut corrigatur justitia, & judicium sedis Domini!

7. *Constitue Domine legislatorem super eos: ut sciant Gentes quoniam homines sunt.* Psalm 9.

8. *Narraverunt mihi fabulationes, sed non ut lex tua: quia lex tua veritas.*

En judicium Regis David de legibus Gentium naturæ!

9. *Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.* Psalm: 110.

En causa tenendi testamentum Domini est redemptio populi!

10. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Lucæ. c. 1. 32. & 33.

En ex testimonio Angeli annuntiantis Incarnationem Filii DEI & Salvatoris, quòd non aliam throni sedem obtinebit, quàm justi Regis David, qui præparabatur per regnum Altissimi à sæculis antiquis!

Observatio.

Quali ergo bona fide throni gentiles dicere naturaliter possunt, quód lex throni Davidici non erat pro eis imposita, non erat

normalis Gentium, ſed Hebræorum, non erat porro Apoſtolus ex Israël miſsus nomine DEI ad eos, quando Rex David in caput Gentium datus, juxta fidelia Pſalmorum ſuorum oracula, inceſſanter clamabat, prædicabat de throno Civitatis DEI, & vocabat Gentes ad Legem ſcriptam Domini? Imò & conquerebatur nimium adversùs affectationem cordis eorum, Psalm: 72. dicens: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. Et dixerunt: Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelso?*

CAPUT III.

De Poteſtate Regni DEI plenè traslata ad Chriſtum.

§ I.

Ex Teſtimonio veteri Davidico ad Gentes.

1. Prædixit Rex Propheta Psalm. 17. *Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput Gentium.*
2. Psalm. 21. *Et adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ Gentium. Quoniam Domini eſt regnum: & ipse dominabitur Gentium.*
3. Psalm 71. *Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes Gentes ſervient ei: Et benedictum nomen Majeſtatis ejus in æternum; & replebitur Majeſtate ejus omnis terra: fiat, fiat.*

§ II.

Ex Teſtimonio Evangelii novo.

1. Quia in Rege Chriſto unio Divinitatis cum humanitate comprehendit naturam cœleſtem & terreſtrem in fundamentum plenæ & univerſalis poteſtatis regnandi, Joan: c. 1. *Et Verbum Caro factum eſt, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis.*
2. Quia Sathan licèt pater mendacii volens nolens exuebat ſe poſſeſſione terræ univerſa in rem Filii DEI. Luc. 4. 5. & ſeq: *Oſtendit illi omnia*

regna

regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt; & cui volo do illa: Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.

3. Quia redemptio totius mundi trahit post se jus omne in Redemptorem: ait Christus Joan. c. 12. 3. & seq. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.*

4. Quia Rex veritatis Christus de se pronuntiavit, dicens: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Joan: 16. 15. Et rursus: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Matth: ultimo.

5. Quia publicatio regni DEI per legem Christi demandata est ad universum orbem Math. 24. 17. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus.*

§ III.

Ex Testimonio Apostolorum.

1. Petrus Apostolus docet. 1. Petr. 4. v. 1. & seq. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et 2. Petr. 1. 17. *Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et vocem hanc nos audivimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.*

2. Jam autem de moribus Gentium non sequendis monet 1. Petr. 4. v. 5. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos.*

3. Deinde Apostolus Gentium Paulus testatur de potestate Christi a Deo translata, Rom. c. 4. *Ut esset hæres mundi per justitiam fidei.* Et nos esse translatos sub illam, 1. Colos. 1. 13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

4. *Qui est* (Filius) *Imago DEI invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra: Visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Ibid. v. 15. 16.

5. *Et ipse est Caput Corporis Ecclesiæ, ut sit in omnibus ipse primatum teneas.* Ibid. v. 18.

Qui

6. *Qui est Caput omnis principatus & potestatis: Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* 1. Colos. 2. v. 6. & seq.

Observatio.

Quod si sic est regni potestas in universum translata ad Regem Christum ut Hæredem mundi, & ipse sibi subjecit omnes principatus, & Caput eorum factus est, sicut est Caput Corporis Ecclesiæ, in regno DEI revelato: Ergo secundùm Scripturas majestates juris naturæ jam evacuatæ & translatæ ad Hæredem universalem censeri debent, tanquam ad Caput Gentium à condito mundo referibiles, & ex virtute pactorum revindicatæ.

§ IV.

Opponuntur Dubia affectata Naturalistarum de Regno Christi.

1. Quia Christus ipse fassus est Joan. 1. 8. 36. dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*: Ergo potestas terrenorum ut priùs hæret circa majestates Gentium.

R. Hoc responsum Christi nunquam est abnegativum potestatis in terrena; ast reflexivum & eruditivum Pilati naturalistæ, ut cognovisset nullam haberi in mundo potestatem, nisi quæ data est desuper, & de cœlo; quia & regnum in Davide Judæorum erat de cœlo non de hoc mundo, & Lex Israëlitica, ex qua Rex promissus Christus venit in mundum, non erat humana, sed cœlestis.

Secus quoties Naturalistæ sustinent dari regna civilia de hoc mundo, toties gentilisant, & abnegant illam veritatem religiosam: *quod omnis potestas a Deo est*, & ordinatio ministerii ejus a Deo regnante provenire debet.

Imo auferunt subjectionem visibilium a Christo ea astutiâ detorsionis verborum, ut veritatem illam: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, Math. ult: mendacem faciliùs reddant, quam Apostolus Gentium Paulus contra ipsos fortiter sustinuit, dicens de potestate omnimoda hujus Regis ad Hebr. c. 1. *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: Virga æquitatis virga regni tui*. Et c. 2. 8. *In eo enim quod omnia subjecit Deus, nihil dimisit non subiectum ei.* Re-

Regnum quippe formale non eſt lapis & murus, non eſt eſca vel potus, ſed eſt attributum poteſtatis DEI, ſed eſt pax & juſtitia, in Spiritu ſancto, ait Apoſtolus; quia & obedientia Regnantibus, non eſt in viventibus caro vel ſanguis, ſed eſt virtus animæ & voluntatis pertinens ad claſsem Theologicam Eccleſiæ DEI.

Si igitur imperium civile ad obediendum ſibi in tributis & temporalibus inculcat populo virtutem obtemperantiæ ſuo imperio, eò quia omnis poteſtas a Deo eſt, & a Deo ordinata eſt. Et cur impugnat Regnum Chriſti, & ſeparat illud a regnis terrenis, ut illi ſubjectio & ſubordinatio plena civium ſubtrahatur, aut reſtringatur poteſtas?

§ V.

De Judicio autem arguunt ex Luc. 12. opponentes illud: *Quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos?*

R. Sed quàm vana eſt contentio Naturaliſtarum: Velle jus naturæ tutari per exempla revalata in regnis, & non ſequi legem DEI revelatam?

Etenim quæramus ex Evangelio eodem: Qualisnam civis petiit a Chriſto mandatum dividendi hæreditatem? *Magiſter dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.* Nonne ille civis petebat, qui non vixerat ſub lege Gentium naturali, aſt ſub lege Moyſis ſcripta, & portionem hæreditatis quærebat ſibi reddi ex eadem lege? quid ergo hoc exemplum juvat alienos a revelatis Naturaliſtas?

Verumtamen, nonne potuit Chriſtus edicere mandatum, ut frater fratri redderet juſtitiam domûs, qui juſſit in tributo Cæſaris reddere juſtitiam ſtatûs? Quare autem hoc obſequium non præſtitit civi Hebræo? Quia ille civis tentator infidelis & avarus erat, & quærebat eſum, non Jeſum; propterea Chriſtus repulſo importunô ſubdolô converſus ad Diſcipulos admonuit eos ibidem Luc. 12. v. 15. *Cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet.* Adjecta verô parabolâ Divitis Epulonis, & mortis ejus in inferno, finivit ſententiam ſuam de malo uſu temporalium dicens: *Sic eſt qui ſibi theſauriſat, & non eſt in Deum dives.* Ibid. v. 20. & ſeq.

Nihi-

Nihilominus quis bonus civicola Judicem Chriſtum ad attendentiam privatis & œconomicis cauſis obligare poteſt, qui venit ad univerſitatem magiſtratuum & poteſtatum corrigendam & judicandam in lege ſua? Ideoque Chriſtus multum in genere judicavit, quando judices particulares de injuſtitia reprehendit dicens: Math. 23. v. 23. *Væ vobis qui decimatis mentham & anetum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis: judicium, miſericordiam & fidem!*

§ VI.

De Mandato reddendi: *Quæ ſunt Cæſaris Cæſari: quæ ſunt DEI Deo. Luc. 20. v. 20.*

Hoc Argumento quid pro ſe evincunt Naturaliſtæ contra regnum Chriſti? Nihil: Equidem Lex DEI revelata eſtne lex Cæſaris? Poteſtas DEI omnis & ſuprema, eſtne poteſtas a Cæsare? Imago DEI in homine poſita, eſtne imago ex civitate? Providentia ſuſtentationis Principum in miniſterio DEI eſtne Legibus revelatis præſcripta, & ordinata a Deo? Ergo omnia ſunt regnantis DEI: & omnia poteſtatis Chriſti ejus!

Idcirco Chriſtus dijudicando cauſam a tentatoribus ſuis motam inter Deum & Cæſarem, occaſione cenſûs: ex Characteribus impreſſis decidit quæſtionem: Viſa itaque in numismate cenſûs imagine Cæſaris, juſſit illam reddi Cæsari: contemplata verò in homine forma & imagine DEI, juſſit eam reddi Deo. Non minus & ipſam poteſtatem, quæ ornat & concomitatur imaginem DEI juſſit reſtitui Deo, non verò alicui naturæ.

Equidem hic Judex & Hæres univerſorum, in illo tempore non venit revindicare imagines fictas, aſt imagines veras & viventes. Ideoque demonſtrato numiſmate civili & imagine Cæſaris, quòd eſſet fictilis, arte facta & mobilis, erudivit demonſtratione ſua tentatores; quia qualis imago, talis & artifex ejus, quale ſubjectum poteſtatis, talis & poteſtas ejus. Attento autem numiſmate hominis vivo, & in ipſo imagine Altiſſimi vera, decidit eam ſubmittendam & reſtituendam eſſe poteſtati veræ ſui Conditoris, & Redemptoris! Hanc enim *Chriſtus venit quærere, & ſalvam facere* de manibus

ſathanæ

ſathanæ, quia hæc perierat: Cenſus verò civilis non perierat. Revindicata proinde imagine DEI, tanquam ſubjecto poteſtatis DEI, nonne ipſa poteſtas ſimul revindicata eſt in terris pro Conditore & Redemptore altiſsimo?

Eapropter hic Redemptor a mortuis reſurgens rectè & palam pronuntiavit de Regno ſuo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: Math. ult.* Oſtenditque juxta Apoſtolum *1. Coloſs. 2.* quali victoria evaſit in *Caput Gentium*, quali triumpho *expoliavit principatus & poteſtates* mundi, atque in ſe *confidenter tranſtulit*, quali porro jure *principem hujuſce mundi ejecit foras* sathanam, poſseſsorem poteſtatis univerſæ, quam ſibi fraude occupaverat, *Luc. 4. 5.* ut hic *ſupra §. 2.* prætactum eſt: Quod ſcilicet poteſtatem hanc per victoriam Crucis conſecutus eſt, tanquam cœleſtem, & obtinuit eam tanquam primogenitus omnis creaturæ, & tanquam ante luciferum genitus Conditor poteſtatum, undique ſibi a natura debitam. Nunc ergo ſit videndum, quomodo, & cui illam commiſit?

CAPUT IV.

De Formalitatibus constitutivis Regni Christi, quod est visibilis Ecclesia DEI.

§ I.

Stabilitur materia Regni Christi remota.

Q. Quænam ſit hæc materia?

R. Eſt totus mundus, & totus homo redemptus: *Probatur.*

1. Quia ſe Chriſtus victorem mundi promulgavit dicens ad Diſcipulos *Joan: 15. v. 18. Si vos mundus odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit:* Et *Joan: 16. 33. Nolite timere, ego vici mundum. Sed confidite: ego vici mundum.*

2. Quia Poteſtatem obtinuit in omnem carnem: *Joan: 17. 1. ,, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.*

3. Quia aſsimilavit regnum ſuum, quà Filius Hominis, rebus corporalibus mundi: *Mari & Sagenæ miſsæ in mare, & Piſcatores ejus*

Apoſto-

Apoſtolos nuncupavit. Item: *Theſauro abſcondito in agro: Luci mundi, Sali terræ, Agro tritici, Horreo, Grano Synapis, Bono Semini, Pani vivo, Vino, Aquæ vivæ, Vineæ locatæ, Ovili, Oſtiario, Domui filios prodigos ſuſcipienti, Menſæ nuptiarum Regis.*

4. Quia aſsimilavit ſeipſum: *Homini Regi, Homini Nobili, Homini Miniſtranti, Patri familias, Homini Negotiatori, Sponſo Virginum, Paſtori, Medico, Filio hominis pauperi: Judici ſervorum*, aliiſque perſonis civilibus ad demonſtrandum, quod ipſe ſit ſignatus, ut in omnis ſtatu viſibili rerum & perſonarum mundi redempti, primatum tenere, & regere valeat, atque Corpus Eccleſiæ viſibile & univerſale potens maneat inſtituere in Spiritu uno.

5. Quia ad viſibilem ſocietatem orbis terrarum viſibilia miniſteria ex DEO ordinavit, atteſtante etiam Paulo Apoſtolo Gentium *1. Cor: 12. 28. & ſeq:* ,, *Et quosdam quidem poſuit DEUS in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde Gratias curationum, Opitulationes, Gubernationes, Genera linguarum, Interpretationes ſermonum.*

Concluditur veritas.

Ergo evidens eſt: quod materia Regni Chriſti ſeu Eccleſiæ DEI remota eſt totus mundus, & totus homo redemptus, atque viſibilis in terris.

Confirmatur viſibilitas.

1. Quia ex Paſsione phyſica & viſibili, nemo viſibilem phyſicamque generis humani redemptionem in Chriſto non inferre poteſt. Joan: c. 11. 3. & ſeq. ,, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.*

2. Quia Chriſtus formam Regni Eccleſiæ ſuæ viſibilem velut Civitatis in alto poſitæ expoſuit ad Apoſtolos: Math: 5. 14. *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita: Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt: ſic luceat lux veſtra coram hominibus.*

3. Equidem ex Paulo Gentium: Si DEUS Ordinavit pro Eccleſia Regni ſui miniſterium viſibile Apoſtolatûs ad prædicandum mundo: jam neceſse ut habeat ſocietatem mundi incredulam, docibilem, & convertibilem, de viſu, & auditu. *2do.* Si ordinavit in Eccleſia Prophetas: neceſse ut habeat ſocietatem mundi ignorantem myſte-

ria Legis DEI & Scripturarum. *3tio.* Si posuit DEUS Doctores: necesse ut habeat Ecclesia societatem mundi puerilem & indisciplinatam. *4to.* Si posuit Virtutes, necesse ut habeat societatem mundi destitutam virtutibûs & impotentem. *5to.* Si posuit Gratias curationum, necesse ut eadem Ecclesia habeat societatem mundi corpore & animo infirmam. *6to.* Si posuit Opitulationes & Gubernationes in ea DEUS, necesse ut habeat societatem mundi orphanam, pupillarem, dirigibilem & obedientem sibi. *7mo.* Si demum posuit Genera linguarum & Interpretationes sermonum: necesse ut talis Ecclesia habeat societatem populorum, non callentem linguas, rudem, & non capientem sermones Dei, sensusque Legis vitæ & disciplinæ.

4. Quia Christus Regnum Ecclesiæ suæ instituens & rediturus visibiliter ad Patrem, reliquit eam Ministris suis ut Domum visibilem cum potestate in omnia opera visibilia, & Janitorem præfecit visibilem unum, dicens ad Ministros *Mar. 13. 34. Sicut homo, qui peregre profectus, reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis: & Janitori dixit ut vigilet: Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus domûs veniet.* Ergo &c.

§ II.

Stabilitur materia proxima Ecclesiæ Regni Christi.

Q. Quænam est hæc materia, & subjectum Potestatis?

R. Sunt omnes actiones mundi seu hominis totius: videlicet cogitationes cordis, verba linguæ, & opera sensuum externorum. *Probr.*

1. Quia peccatum injustitiæ in Adam & Cain ac posteris eorum, ex his fontibus cogitationum, verborum, & operum regnare cœpit in mundo, & promanavit ab eis moraliter & physicé. *Gen: c. 3. 6. & seq. & Gen. 4.* Unicuique hoc patet consideranti.

2. Quia Christus hancce materiam pro fundamento Regni sui claré in parabola zizaniorum exposuit: *Marc: 13. 37. Qui seminat bonum semen: est Filius hominis. Ager autem est mundus: Bonum vero semen, hi sunt filii Regni. Zizania autem sunt filii nequam: Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messores autem sunt Angeli.*

3 Quia Regnum ſuum & Evangelium ab impoſitione Pœnitentiæ de præteritis, & fidei in revelationem, ſolus inchoavit dicens ore ſuo *Marc: c. 1. 15. Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum DEI, pœnitemini, & credite Evangelio*: Et hoc eſt lex cœli ad cor.

4. Quia renovavit legem veterem dilectionis DEI *ex toto corde & ex tota anima*, proximi autem ſicut ſui ipſius, ad homines: dicens *Math: 22. 40. quia in his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Et hæc duo ſunt ad totum hominem, & ad totam civitatem Regni DEI.

5. Quia Chriſtus reparans mundum, hæc tria ſubjecta errantia: cor, linguam, & ſenſuum opera poteſtate Legis ſuæ refrænavit, circumſcripſit, & correxit.

1mo. Indicavit & inculpavit Cor, tanquam fontem coninquinationis totius hominis, quod jus naturæ non indicavit. *Math: 15. 19.* propalando *De corde enim exeunt cogitationes malæ: blasphemiæ, furta, homicidia, adulteria, fornicationes, falsa teſtimonia, & hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.*

2do. Linguam verboſam & fabulosam, ad duo principia veritatis reduxit *Math: 5. 37. Sit ſermo veſter eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Et *Math: 12. 36. Ex verbis enim tuis juſtificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis.*

3tio. Senſus corporis externos legibûs privationis coarctavit, quod jus naturæ non coarctavit. *Marc: 9. v. 42. & ſeq. Si ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam: Et ſi pes tuus ſcandalizat te, amputa illum: Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum &c.* Hoc eſt abſtine ab uſu, & exercitio ſcandali.

4to. Opera mala mundi æquè ut bona, ſub judicio lucis ſuæ manifeſtantis veritatem manere juſſit, dicens *Joan: 3. 19. Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum opera mala. Omnis enim, qui male agit odit lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.*

Ergo ex dictis liquet, quod materia proxima Regni Eccleſiæ Chriſti, & ſubjectum poteſtatis ejus: ſunt actiones mundi, cogitationes, verba, & opera omnia interna, externa, quæcunque pendent à corde, ore, & corpore, atque cadunt ſub juſtitiam Legis revelatæ.

§. III.

§ III.

Expenditur vera differentia Imperii Sacri & Civilis.

Naturaliſtæ cum Rieggerio docent *ſupra de Contradictionibus: Differentiam eſsentialem Imperii Sacri & Civilis conſistere in eo: Quia illud ad intellectum & voluntatem, a quibus omnis dependet Religio, pertineat: Hoc vero ad corpus & bona temporalia.*

Obſervatio.

Advertant Naturaliſtæ hanc ſuam dislimitationem & differentiam inter Poteſtates eſse imaginariam, & utrique Imperio Sacro & Civili repugnantem ex rationibus.

Q. *1mo.* Rex Chriſtus & mundi Redemptor eſtne Religio ipſa pendens ab intellectu & voluntate hominis: an eſt Stator Religionis, Legislator & Hæres mundi redempti?

Q. *2do.* Rex deinde Civilis in ſua poteſtate eſtne corpus quoddam exanime, vel eſt homo Legis, Religionis, & Poteſtatis DEI capax? Nullum enim Imperium in pane & carne formaliter regit, mandat, & principatur: nemo judicat, contrahit, jurat, obtemperat, ut corporalis in Civitate; ſed omne imperium regit & judicat in verbo juſtitiæ & veritatis, ac in ſpiritu intellectûs principatur, qui præſidet corpori tanquam poteſtativa imago DEI, & miniſter legis incorporeæ. Et omnis ſubditus non obedit aliter imperio cujuſvis, niſi in ſpiritu intellectûs & voluntate.

Ergo admiſsa inter Poteſtates præallegata Naturaliſtarum differentiâ: Et Rex Chriſtus patitur, quia abjudicatur a temporalibus mundi: Et Reges naturæ patiuntur, quia intellectui & voluntati hominum non imperant, ſed morticinis & cadaveribus corporum dominantur.

Tantò verius cadaveribus dominantur Reges naturæ, quantò fortiùs Naturaliſtæ iidem de contradictionibus ſuis ſuſtinent: *Quod neque intellectus, neque voluntas, vi externa cogi poteſt.* Jam enim ſpiritum hominis a poteſtate & majeſtate civili palam ſubtraxerunt! Hoc autem neque Chriſtus, neque Eccleſia ejus docuerunt, quia

omnis

omnis poteſtas, & omnis obedientia, Virtus ſpiritualis eſt, atque pars Religionis eſt: Et non agunt, niſi in intellectum & voluntatem, ut ab illis ex Lege præſtetur juſtitia in Deum, & proximum! Quoniam & Chriſtus de corporalibus admonuit *Joan: c. 36. Quod enim ex carne natum eſt, caro eſt: quod autem ex ſpiritu natum eſt, ſpiritus est.* Item: *Spiritus eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quidquam. Joan: c. 6.* Deinde Apoſtolus Gentium declaravit ad *Rom: 7. 14.* dicens: *Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.*

Itaque qualis eſt lex, talis & poteſtas legis miniſtra; Si ſpiritualis? non agit utique niſi in intellectum & voluntatem, tam in Eccleſia, quám in Civitate Regni Chriſti! Si vero eſt corporalis, & ad corporalia pertinet? illa poteſtas ad jus & ordinem animalicum ex natura ſuâ pertinet! Quæ igitur gloria pro Majeſtatibus eſt, ſi eſsentialiter illarum poteſtas ſuper corporalibus ſtabiliatur? ſi ad jus & ordinem animalicum naturæ referatur? Hinc.

§. IV.

Stabilitur vera differentia inter Imperia.

Quoniam ex decreto Chriſti: *Omne natum ex carne caro eſt: omne vero natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt*: Item ex Apoſtoli doctrina: *Legem eſse partum ſpiritualem* conſtat. Ergo & omnem poteſtatem DEI ſive Sacram, ſive Civilem, neceſse eſt ſateri ſpiritualem, atque ſpiritibus imperantem vivis.

Sicut autem imperium Sacrum & Sacerdotale in Regno Eccleſiæ Chriſti regere nequit intellectum humanum & voluntatem ſine ſocio corpore hominis; ita & imperium Civile in Chriſto nequit regere corpus & corporalia ſine ſocio intellectu & voluntate hominis: Et jam utrumque imperium ex vi legis ſpiritualis correlativum ſibi & connexum in ratione juſtitiæ manere oportet.

Quapropter differentia eſsentialis inter hæcce Imperia ex deductis conſiſtit in eo: *1mo.* Quia ſacrum imperium Eccleſiæ eſt univerſale in Chriſto, & illimitabile: Civile autem imperium eſt particulare & ſubordinabile univerſalitati. *2do.* Quia imperium ſacrum

crum illuminat, flectit & refrænat intellectum ac voluntatem hominis totius ad obediendum Legi DEI in justitia Sacrorum, & in Divinis universalibus: Civile autem imperium flectit & refrænat intellectum & voluntatem ejusdem hominis ad obediendum Legi DEI in justitia temporalium, & in humanis particularibus. *3tio.* Quia illud exercetur in verbo DEI coërcitivo, & in gladio linguæ percutitur intellectus ac voluntas, ut trahat post se corpus ad obediendum: Hoc autem exercetur in verbo DEI executivo, & in gladio ferri percutitur corpus sensitivum, ut coërceatur socia voluntas, & intellectus ad obediendum justitiæ.

§. V.

Expenditur necessitas, ac dependentia carnalium & spiritualium.

Naturalistæ arguunt supra P. 2. c. 1. de contradictionibus, & docent: *Omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate. Spiritualia autem in voluntate, non in necessitate.*

R. Sed advertant, undenam sit necessitas carnalium? nonne ex spiritu vivificante, qui facit moveri, crescere, & esurire corpus? Ergone spiritus non necessariò animat & vivificat corpus? Tollite spiritum, jam sustulistis necessitatem carnalium. Tollite quòque si potestis vitam, atque vitalia spiritûs, & tunc spiritualia extra necessitatem ponetis, ut in voluntate animalica cum Naturalistis omnibus permaneant, & subsint ut prius potestati principis tenebrarum!

Etenim; autne Christus non necessariò in Spiritu Sancto venit & univit se nostræ carni? autne non necessariò pro nobis passus & mortuus est? autne non necessario prædicavit pœnitentiam, & legem spiritualium simulque carnalium coërcitivam apposuit? Imo spiritualia pro substantialibus, carnalia pro accidentalibus & adjectivis decidit., dicens: *Quærite ergo primo Regnum DEI, & justitiam ejus: Et hæc adjicientur vobis:* id est carnalia. Quòd si pro adjectivis carnalia decidit? jam hæc evidenter pro subordinatis Regno DEI, & spirituali necessitati cooperantibus satis declaravit. Quinimo diabolo tentatori de providentia panis ex lapidibus respondit

ſpondit *Math:* c. 4. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.*

Idcirco poſita neceſsitate carnalium, tanquam ſubordinata & pendente a neceſsariis atque ſubſtantialibus ſpiritûs vitalis motibus & vivificationibus, jam ratio recta inferre jubet, quod poteſtas carnalium ſubordinari debeat poteſtati ſpiritûs, & ab ejus directione dependere naturaliter.

Ideoque errat ille Naturaliſta Joſephus Paulus, qui docuit in ſuis contradictionibus de poteſtate ſpirituali & civili dicens: *Majeſtatem á Sacra poteſtate omnino independentem eſse. Et qui dependentiam indirectam defendunt, neque ex ratione, neque ex Revelatione evincere poſsunt. Nam: Principes malos à ſolo DEO puniri poſse.*

§. VI.

Stabilitur neceſsitas dependentiæ in Christo.

1. Quia Naturaliſtæ ex veteri & nova lege DEI, nullam pro Majeſtatibus exemptionem in terris producunt, ut independentiam earum á poteſtate Sacra evincant.

2. Quia admiſsa libertate independentiæ pro Majeſtate Civili, conſequens eſt, ut & Civitas ipſa independens & exempta maneat; ex qualitate enim reipublicæ qualitas Majeſtatis commenſuratur: quod repugnat poſitivis legibus redemptionis & ordinationibus DEI.

3. Quia poſt eliberationem populi de Domo Ægypti, de Domo ſervitutis non vané olim penes Sanctuarium tabernaculi ſui, & penes Sacram poteſtatem altum ſuum regimen DEUS Eliberator reliquit; vocationem veró & unctionem Regum, niſi mediante tali Sacra poteſtate in adjutorium contra adverſas Gentes inſtituit.

Unde Rex Propheta David confitetur Deo: *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.* Jam veró de Sacerdote fatetur: *Tu vero homo unanimis: dux meus & notus meus: qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo DEI ambulavimus cum conſenſu. Pſal: 54.*

4. Quia Civilis Societas ex domeſtica & patria filiorum ſocietate originaliter coaluit, atque poteſtas Civilis aliud fundamentum pro ſe non habet, quàm *patriæ poteſtatis*, quæ ampliata & extensa eſt ad

Civita-

Civitates. Sicut autem *patria poteſtas* ſemper fuit ſubordinata ſacræ poteſtati: & ideo ſubintravit in Decalogum revelatum, *Honora patrem & matrem, ſi vis longævus eſse:* ita & poteſtas civilis ſimilitudinaria, ſubordinationem patriæ ſequi & imitari tenetur, ut gaudeat privilegió paterno & materno honorationis, ex DEO.

5. Quia repugnat ad independentiam ſtatuendam, majeſtates civiles derelinquére in ſola prudentia carnis, & ſubtrahére eas a prudentia Spiritûs Chriſti: cavet enim hoc Apoſtolus ad *Rom: c. 8. v. 6. & 7.* dicens: *Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia verò ſpiritûs, vita & pax: ſi quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt DEO, legi enim DEI non eſt ſubjecta, nec enim poteſt:* (*ſine Chriſto.*)

6. Quia Chriſtus judicium crucis in ſe ſuſtinuit, ut vindicâſset poteſtates de principatu diaboli, qui ſibi tradita eſse omnia in mundo vendicabat: *Luc:* 4. Ideo Chriſtus dixit: *Nunc eſt judicium mundi, & princeps hujus mundi ejicietur foras: Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me. Joan: 12. 3.* Quod ſi majeſtates pendebant olim a falſo principe mundi, quare vindicatæ pendere non debeant a vero Rege mundi, & ab ejus poteſtate Vicaria, quam reliquit poſitivé in terris, ſicut infra patebit?

7. Quia ſi quis vult in terris regnare, & a ſolo DEO tantum pendere in regnando: hic non credit, quod regnum DEI appropinquâſset in terram, & maneat inter homines in miniſterio ſacro, & in directione legis ſuæ. Hic vult exlex, & impœnitens ſolus vivere, ſolus de erroribus ſuis cum ſolo DEO diſceptare: hic leges fraternæ correctionis a Chriſto poſitas refugit, & venire ad lucem revelatam, ut manifeſtentur opera ejus, an ex Deo facta ſunt, contemnit. Conſenſionem tamen ſuæ reipublicæ ſuper his pro ſe nunquám obtinuit, neque eam a jure naturæ poſitivo, ex pactis Adæ, Noë, Abrahæ, David poſsidere poteſt, & probare.

8. Quia Chriſtus non venit, ut pro ſe evinceret regnum æternum cœli, illud enim ab æterno poſsidebat; venit autem ad homines, ut ſibi datum a Patre, & evictum a diabolo regnum repeteret in terra, & repetitum ordinaret, atque regendum in ſpiritu ſuo ſpeciali, electis ſuis ſervis præcommitteret. Quod dum pro humana providentia in

facie orbis fecit, novamque & univerſalem legem DEI ex throno Davidico, qui erat verior Adamiticus, Noachiticus, Iſraëliticus, reaſsumpſit, publicavit ad reliquas Gentes, & miniſterium legis ſtabilivit.

Ergo poſitô regno Chriſti viſibiliter revelato, majeſtates naturales pro ſubordinabilibus, revindicatis, & dependentibus reputari in terris debent: Et poſitô miniſteriô formali Legis Regni ejus: omnia Gentium miniſteria pro evacuatis, exlegibus, & reducibilibus ad unam formam in Chriſto, cenſenda ſunt.

CAPUT V.

De Forma generali, & Legibus Ministerii in Regno Christi, quod est DEI.

§. I.

Præmittitur Forma vetus, & normalis Lex Miſsionis atque unctionis Miniſtrorum DEI. Ex Libr. Exod.

1. Dixit Dominus ad Moyſen: „ *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loquêris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Iſraël de terra ſua:* Exod. 7. 1. & ſeq.

Ecce vetus miſsio DEI ad Regem naturæ. Moyſes, imago Chriſti: Aaron, imago Apoſtolatûs Chriſtiani.

2. *Cum dixerit vobis Pharao, ostendita ſigna: dices ad Aaron: tolle virgam tuam, & projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.* Ibid. v. 9. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum.* v. 10.

3. *Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos: projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed devoravit virga Aaron virgas eorum. Induratumque est cor Pharaonis.* Ibid. v. 12. & ſeq.

Ecce Aaron exercitor ſignorum revelationis! Et ecce naturaliſtarum malefica pugna cum Deo revelante!

4. *Dixit*

4. *Dixit quoque Dominus ad Moysen & Aaron: Loquimini ad universum cœtum Israël: decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Exod. 12. v. 1. 3. & seq.

5. *Et cum dixerint vobis filii vestri: quæ est ista religio? dicetis eis: victima transitûs Domini est.* Ibid. v. 26. *Hæc est religio Phase: omnis alienigena non comedet ex eo.* Ibid. v. 43.

Ecce Religionis priùs quàm civitatis in Israël institutio! Religio verò naturalis immutabilis dicta, ubinam alienarum civitatum hæsit? *Anno mundi* 2512.

6. *Hæc dices domui Jacob, & annuntiabis filiis Israël: Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Exod. 19. 4. *Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Ibid. v. 5. & 6.

En gens in regnum sacerdotii de gentibus exempta, speciali pactô soli Altissimo subjecta, in lumen revelationis Gentium præsignata! *Ante Christum anno 1491.*

7. *Ait Dominus Moysi: vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, laventque vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium; in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.* v. 10. & 11.

8. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Ibid. v. 22.

En lex sanctificandi populum & Clerum accedentem ad Dominum, quam legem ubi natura in religione naturali proposuit, pœnamque ubi adjecit?

9. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.* Exod. 28. 1. & 2.

10. *Rationale quoque judicii facies opere polymito.* v. 15. *Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur sanctuarium.* v. 29. *Pones autem in rationali judicii Doctrinam*

& Veritatem; quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit judicium filiorum Israël in pectore suo. Ibid. v. 30.

11. *Et pones tiaram in capite ejus, & laminam sanctam super tiaram.* Exod. 29. 6. *Et oleum unctionis fundes super caput ejus: atque hoc ritu consecrabitur.* Ibid. v. 7.

12. *Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii: Et unges ex eo tabernaculum testimonii, & Arcam testamenti.* Exod. 30. 25. & 26.

13. *Filiis quoque Israël dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras: talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino: Homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Exod. 30. v. 31. & seq.

14. *Applicabisque Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aquâ indues sanctis vestibûs, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.* Exod. c. 40.

Naturalistæ cur has leges cæremoniales aut judiciales ad Ecclesiam Christi minimè pertinere dicunt? autne Christus ex Israël ortus sanctitatem & justitiam veteris legis abrogavit?

15. *Dixit Dominus: Tam indigenæ, quàm peregrini eodem ritu offerent sacrificia. Unum præceptum erit atque judicium tam vobis, quàm advenis terræ.* Numer. c. 15. v. 13. & seq.

16. *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Sed & fratres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, & ministrent tibi.* Num: cap. 18. 2.

17. *Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi:* v. 3. *Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israël, & tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus.* v. 6.

18. *Tu autem & filii tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per Sacerdotes administrabuntur, si quis externus accesserit, occidetur.* Ibid. v. 7.

En caput Sacerdotii & Ordinis Levitici in lege scripta unum est, in rationali judicii uno, & in sceptro regiminis uno, & in doctrina veritatis una ordinatum! Et quis dicet hoc factum esse a DEO contra jus naturæ?

19. Jeremias enim de usu imperii summi sacerdotis in prophetantes & docen-

docentes contraria legibus teſtatur. Jer. 29. 26. dicens: *Dominus dedit te Sacerdotem pro Jojade ſacerdote: ut ſis dux in domo Domini ſuper omnem virum arreptitium & prophetantem, ut mittas eum in nervum & in carcerem.*

20. Chriſtus ipſe miniſterium ſuum in Synagoga Nazaret verbis *Isaiæ Prophetæ ex libro legis* ad populum comprobabat dicens Luc. 4. 18. *Spiritus Dominus ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me; ſanare contritos corde.*

Ergo & Eccleſia docens miſsa ad Gentes, abſque Spiritu & unctione DEI, aliiſque ſanctitatis cæremoniis veteribus, ſanctè DEO & populo miniſtrare nequit, aſt ad normam legis indicatam a Chriſto procedere.

§. II.

Præmittitur forma & lex vocandi Reges ad miniſterium DEI regale, & ungendi.

DEUS Iſraël diffidente olim populo in ducibus & judicibus: *1. Reg: c. 8.* & contendente cum ſummo ſacerdote Samuele, ut illis conſtitueret Regem ad bella more Gentium: mandavit Samueli, ut exaudiret vocem populi, qui diffidens recedebat a DEO, atque faceret illis Regem, ſed ad formam ſanctam & talem, quæ præſcribitur *1. Regum cap. 10. per tot.* ſcilicet:

1. Ut Saul revelatus in miniſterium ungeretur.
2. Ut inter Prophetas apponeretur.
3. Ut Spiritu Domini prophetico imbueretur.
4. Ut ſic mutaretur in alium virum.

1mo. Itaque Samuel dicit ad Saulem: *Ecce, unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem. Post hæc venies in collem DEI: obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelso. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. Itaque immutavit ei DEUS cor aliud. Et dixerunt videntes ad invicem: Num & Saul inter Prophetas?*

2do. Pariter cum Saul prævaricator abjectus fuiſset, Samuel ſacerdos unxit David in Regem, & unctio attulit illi Spiritum DEI. 1. Reg. c. 16. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum*

trum ejus : & directus est Spiritus Domini a die illa in David. Spiritus autem Domini recessit a Saul.

3tio. Uncto Salomoni in Regem, & postulanti cor docile, respondens Dominus, dixit ei: *Ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus sit.* 3. Reg. 3. 12.

Ecce forma vetus inaugurandi Reges sanctos, & conditio eorum est mutandi in alium virum! Poteſtne id præstare jus & civitas naturæ Regibus? Ergo Naturalistæ errant, dicentes: *Antiquatas leges civitatis Judaicæ nemo nobis imposuit!*

Etenim Christus docuit Apostolos suos dicens: Math: 13. 5. *Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorum similis est patri familias, qui profert de thesauro suo nova & vetera:* Quoniam Christus factus est Pater familias utriusque Testamenti justitiæ regni cœlorum.

§. III.

Lex & forma, qua Christus declarat sub parabola acceptionem sui regni in Israël. Luc. 19. 12. & seq.

1. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.*
2. *Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas* (poteſtates) *& ait ad illos: Negotiamini dum venio.*
3. *Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.*

Ecce societas civilis refragaria regi!

4. *Et factum est ut rediret accepto regnô: & jussit vocari servos, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Et ait lucranti decem mnas: Eris potestatem habens super decem civitates: lucranti quinque: & tu esto super quinque civitates &c.*
5. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.*

Ecce commissio potestatis in bonos servos, & pœna in refragarios!

6. *Et his dictis Jesus præcedebat ascendens Jerosolymam, & cæperunt omnes turbæ Discipulorum gaudentes laudare DEUM, dicentes: Benedictus, qui*

venit Rex in Nomine Domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri David. Mar. 11. 10.

Ecce acceptio poſseſsionis regni David a Chriſto, & agnitio à fidelibus!

§ IV.

Lex & forma, quâ Chriſtus declarat translationem regni ſui à Judæis ad Gentes: ſub parabola Vineæ. Luc. c. 20.

1. *Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis: & ipſe peregrè fuit multis temporibûs.*

En Chriſtus plantationem veteris Eccleſiæ dicit!

2. *Et in tempore miſit ad cultores ſervum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæſum dimiſerunt eum inanem.*

3. *Et addidit alterum ſervum mittere: Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumeliîs dimiſerunt inanem.*

4. *Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes ejecerunt.*

En ex Judæis quæſitus fuit à DEO pluries fructus Gentium, illi verò miſsos ad ſe Prophetas contempſerunt!

5. *Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan, cùm hunc viderint, verebuntur. Quem cum vidiſsent coloni, cogitaverunt intra ſe, dicentes: Hic eſt hæres, occidamus illum, ut noſtra fiat hæreditas. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt.*

En arrogatio poteſtatis Dominicæ, & molitio in hæredem vineæ DEI, Chriſtum, Filium Altiſſimi ultimò miſsum!

6. *Quid ergo faciet illis dominus vineæ? veniet & perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis. Quo audito Judæi, dixerunt illi: Abſit.*

En decretum translationis Eccleſiæ regni DEI, quæ fuit vinea in ædificationem Gentium!

7. *Auferetur a vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Math. 21. 43.

En confirmat Chriſtus translationem!

8. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus, qui venit in Nomine Domini.* Math. 23. 38. & 39.

9. *Erit*

9. *Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jerusalem calcabitur a Gentibus.* Luc. 21. 23. & 24.

En translationis modus planè verificatus!

10. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent hunc locum, & gentem:* dicunt Judæi *Joan. 11. 48.*

En præsenserunt Judæi translationem sui ad sedem & gentem Romanam! Et reipsa ibi eorum vetus officium, lex, doctrina, & rationale consedit. Hinc & Paulus eosdem admonet Hebr. 7. v. 12. *Translato igitur sacerdotiô, necesse ut & legis translatio fiat.*

§. V.

Lex & Forma, quâ Christus ministerium regni DEI transfert in Apostolos, & disponit. Luc. 6.

1. *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione DEI. Et cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos: quos & Apostolos nominavit.* v. 12.

Nomina Apostolorum.

2. *Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Judam Iscariotem, qui fuit proditor.* v. 15.

3. *Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum DEI.* v. 17. & seq.

En formam Christi: *1mò.* Orat nocte: *2dò.* Vocat mane discipulos: *3tiò.* Nominat Apostolos: *4tò.* Deducit eos in locum campestrem ad turbas: *5tò.* Elevatis oculis in discipulos nominatos, declarat in facie turbæ pro eis regnum DEI!

4. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis. Facite vobis thesaurum non deficientem in cælis.* Luc. 12.

En metuentes onus ministerii confortat! 5. *Ex-*

5. *Expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.* Joan. 16. v. 7. & ſeq.

En Electis Spiritum conſolatorem promittit, qui per os eorum argutor erit mundi, de peccato, juſtitia, & de judicio!

6 *Vos autum eſtis, qui permanſistis mecum in tentationibus meis: Et ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim Tribus Israël.* Luc. 22.

En Chriſtus receſſurus ad Patrem, locat & diſponit regnum DEI Patris in terra pro electis Miniſtris ſuis duodecim: quia ex lege veteri etiam locatum ac diſpoſitum fuerat Tribubus & Judicibus duodecim.

7. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: Et quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Matth. 18. 18.

8. *Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Joan. 20. 21.

En poteſtas Collegii relativa ad terram & cœlum! En miſſio ſtalis Apoſtolica, qualis erat miſſio Chriſti à Patre! En & communicatio Spiritûs Sancti in Miniſtros regni DEI, quod eſt Chriſti, viſibiliter impertita!

Obſervatio.

Et quomodo cum his Legibus DEI & Ordinatione Chriſti, doctrinæ Naturaliſtarum ſtabunt, ſupra de Contradictionibus adductæ? *Poterit enim Eccleſia, vel ut ſocietas æqualis, ab iis civibus, qui paciſcuntur, conſtitui: vel etiam alicui alii, præter ſummum Imperatorem, poteſtas Eccleſiaſtica conſerri: Aſt poteſtas Ecclesiaſtica naturaliter Majeſtati cohæret!*

Cur quippe Deus cœli & terræ, atque Rex Chriſtus non revelaverunt regnum ſuum immediatè civibus & majeſtatibus naturæ, nec acceſſerunt ad divites hujus ſæculi? Quia ſciverunt contuma-

maciam eorum: *quòd facilius sit transire camelum per foramen acûs, quàm divitem* submittere se, *& intrare in regnum cœlorum!* Ideo Christus electis suis Ministris etiam vendere possessa sua terræ jussit, ut hoc vinculo non penderent à civili subordinatione in Divinis, dicens ad eos: *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Scit enim Pater vester, quia his omnibûs indigetis.* Matth. 6.

Equidem naturaliter implicat, ut Ecclesia docens ex instituto solius DEI præposita super ecclesiam utentem & dirigibilem terræ, regatur a naturalistis, & non ab ipso positivo Institutore Deo, ejusque revelato Christo.

CAPUT VI.

De Formulis & Legibus positivis ac specialibus, pro Ecclesia Docente a Christo datis.

§ I.

Lex & formula Legationis ad mundum a Christo data.

1. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. *Mar. 16. 15.*
2. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. *Joan. 20. 21.*
3. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. *Math. c. 10.*
4. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus. *Math. 24. 14.*
5. Et ante præsides & reges stabitis propter me, ~~in testimonium~~ illis. *Marc. 13. 9.*
6. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. *Luc. 21. 15.*
7. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis; & fructus vester maneat. *Joan. 15. 16.*
8. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joan. c. 5. 15.*

9. Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. *Joan:* 7. 16.
10. Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt. *Ibid v.* 28.

Nota. Numquid Naturaliſtæ non a ſemetipſis, & pro ſemetipſis, ratiocinantur & loquuntur?

11. Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? *Ibid. v.* 19.
12. Amen dico vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo: neque Apoſtolus major eſt eo, qui miſit illum. *Joan.* 13. 16.
13. Qui habet mandata mea, & ſervat ea: ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. *Joan.* 14. 21.
14. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. *Joan.* 5. 39.
15. Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum: quoniam neceſse eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege *Moyſi*, *&* *Prophetis*, *&* *Pſalmis de me.* Luc. 24. 44.
16. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. *Ibid. v.* 45.
17. Et ego mitto promiſsum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *Ibid. v.* 49.
18. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. *Marc.* 16. 20.

Obſervatio.

En forma legationis & qualificationis Miniſtrorum DEI ad Gentes redemptas! En authenticitas Divina poteſtatis pro Eccleſia Docente! Et ubi, vel quando quid ſimile pro miniſterio & principatu naturæ civili Gentes producere valuerunt, & valent? Si autem his Teſtimoniis Evangelicis non creditur: quiſnam profectò Deus, aut Angelus, aut beatus ſathan ſtatui poterit in teſtimonium legum humanarum, ad præſtandam illis fidem, quòd hæ ſint genuina veritatis & juſtitiæ formularia, ab Adam ad poſteros pro regendo feliciter hoc ſæculo porrecta & tranſmiſſa?

§ II.

Lex & Formula externa Missionis Apostolicæ.

1. Et convocata turbâ cum Discipulis suis, dixit eis: Si quis vult post me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. *Marc. 8. 34.*

2. Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. *Math. 10. 1.* Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratìs accepistis, gratìs date. *Ibid. v. 8.*

3. Vos estis lux mundi. *Matth. 5. 14.* Vos estis sal terræ. *v. 13.* Vobis datum est nosse mysterium regni DEI, cæteris autem in parabolis. *Luc. 8. 10.*

4. Me autem odit mundus: quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt. *Joan. 7. v. 7.*

5. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. *Matth. 10. 28.*

6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibûs suis, & conversi dirumpant vos. *Math. 7. 6.*

7. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, neque pecuniam in zonis vestris tuleritis: dignus enim est operarius cibô suo. *Math. 10. 9. & seq.*

8. In quamcunque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis. *Math. 10. v. 11.*

9. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

10. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: quòd si non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. *Ibid. Math. 10. v. 13. & 14.*

11. Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. *Ibid. v. 16.* Cùm autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. *Ibid. v. 23.*
12. Amen dico vobis: Qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me miſit. *Joan 13. 20.*
13. Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. *Joan. 16. 2.*
14. Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? (id eſt in Civitatibus Judæ) At illi dixerunt: Nihil.
15. Dixit ergo eis Jeſus: Sed nunc qui habet ſacculum, tollat; ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium (ob perſecutionem à Judæis & Gentibus) *Luc. 22. 36.*
16. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis eſt. *Ibid. v. 38.*

Obſervatio.

En formam & legem externam pro Apoſtolatu Eccleſiæ docentis! Quarenam regulas accuſativas mundi & colluctativas in ſe continet? An ex eo, quòd ex parte Chriſti & regni ejus, dignitas id exigat? an ex eo, quòd jus æmulum & odioſum mundi ad talem formam & legem provocabat Deum, & provocat?

Aſt & Apoſtolus Gentium conqueritur ad Ephes. 6. 12. *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed averſùs poteſtates, principes, & rectores tenebrarum harum in cæleſtibus!*

Salvator enim: *non eſt Deus diſsenſionis, ſed pacis.*

§ III.

Lex & Forma Dilectionis Socialis Miniſtrorum in Eccleſia Dei.

1. Jam non multa loquar vobiſcum, venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. *Joan. 14. 30. & 31.*
2. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum non pereat. *Joan. 3. 15.* Sicut dilexit

me

me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. *15.* 9

3. Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Ibid. v. 13. & 14.*

4. Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem. *Joan. 13. 34.*

5. Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. *Joan. 15. 19. & 20.*

6. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei! Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, & soror, & mater est. *Math. 12. 48. & seq.*

7. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Joan. 15. 12.*

8. Simon Joannis diligis me plùs hìs? Dicit ei Simon: Etiam Domine Tu scis, quia amo te. Dicit ei Jesus: *Pasce agnos meos,, Joan. 21. 15.*

Observatio.

En catenam ministerialem dilectionis à Deo Patre ad Filium, à Filio ad Discipulos, á Discipulis ad invicem fraternitatis ministerialis! Novum & iteratum Mandatum inculcavit Christus Ecclesiæ docenti; quia aliud est officium ex humanitatis lege diligere Deum & proximum, aliud verò ex vinculo & officio ministerii cointelligentiam correlationemque amoris servare, ut in ministerio schisma omne tollatur, & invidia. Ast ubi quæso, & quando ab initio mundi inter principes & ministros juris naturæ, simile mandatum cointelligentiæ & condilectionis pro ministerii ratione uniformi in majestatibus promanavit? Nonne omnes in schismate civili gloriantur, & ad simile schisma Ecclesiam docentem trahunt?

§ IV.

Lex & Forma Unitatis Ecclesiæ Regni Christi.
Ob Unitatem Veteris Sponsæ.

1. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat,

& audit

& audit eum. *Joan.* 3. 29. „ *Joannes Baptista docuit de Christo, & de seipso.*

Ob Unitatem Novæ Petræ.

2. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Math.* 16. 18.

Ob Unitatem Ovilis.

3. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: (gentiles) & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor. *Joan.* 10. 16.

Ob Unitatem Regni DEI.

4. Omne regnum divisum contra se, desolabitur: & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. *Math.* 12. 25. Ait Christus de divisione regni sathanæ. Si autem ego in spiritu DEI ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum DEI. *v.* 28.

Ob Unitatem Domini, Domus Sanctæ, & Janitoris.

5. Sicut homo, qui peregrè profectus, reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, & janitori præcepit ut vigilet. Vigilate ergo. *Marc.* 13. 34.

Ob Unitatem Ostii, & Ostiarii.

6. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit (id est Claviger & Janitor unus) *Joan.* 10. 1. & *seq.*

Ob Unionem Legis Veteris, & Novæ:

1. Et transfiguratus est ante eos. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. *Math.* 17. 2. & *seq.*

Nota. Augustinus Tract: in Joan. dicit: *Per Moysen significatur Lex:*

Lex: per Eliam significantur Prophetæ: per Dominum significatur Evangelium: in uno monte.

Ob Unitatem ex dispersis congregandam.

9. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum, & noluisti? *Luc. 13. 34.*

Ob Unitatem DEI, Fidei, & Mysteriorum.

10. Pater quod dedit mihi, majus omnibûs est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater *unum* sumus. *Joan. 10. 29.* Et scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docibiles DEI. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. *Joan. 6. 45.*

Ob Supplicationes Christi pro Unitate Ecclesiæ Docentis & Utentis.

11. Pater sancte: Non pro eis autem rogo tantùm, (Apostolis) sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint. *Joan. 17. 20.*

Ob Unionem Divinitatis cum humanitate.

12. Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum. *Ibid. v. 21. & seq.*

Observatio.

En fundamenta juris privativi pro unitate Catholica Ecclesiæ docentis & utentis in Christo! Ut scilicet omnes dispersi in lege vagabunda naturali congregentur ad unum sponsum, ad unam domum DEI & Legem, ad unum ovile & regnum Christi, maneantque sub uno Pastore, uno Janitore, & Ostiario ejusdem Domus.

§ V.

§ V.

Lex & Forma unitatis Primatûs Apoſtolici in Simone Petro inſtitutæ.

1. Intuitus autem eum Jeſus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. *Joan. c. 1. 42.*

En impoſitio Nominis diſtinctivi pro Ducatu Apoſtolico!

2. Aſcendens autem Jeſus in unam navim, quæ erat Simonis: & ſedens docebat de navicula turbas. *Luc. 5. 3.*

En deſignatio unius naviculæ Petri in Cathedram Eccleſiæ docentis!

3. Ait Simon: Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine. Et ait ad Simonem Jeſus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. *Ibid. v. 8. & 10.*

En humiliati Simonis deſignatio ad capturam hominum!

4. Ambulante Jeſu ſuper mare de nocte, & pertimeſcentibus Diſcipulis, reſpondens Petrus fiducior dixit: Domine ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait: Veni. *Math. 14. 25. & ſeq.*

5. Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam ut veniret ad Jeſum. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpiſset mergi, clamavit dicens: Domine ſalvum me fac. *Ibid 29. & ſeq.*

6. Et continuò Jeſus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? *Ibid v. 31.*

7. Et cum aſcendiſsent in naviculam, ceſsavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum. *Ibid. 32. & ſeq.*

En per immiſsa pericula probatio fidei & virtutis Diſcipulorum à Chriſto! En excellentior fiducia Petri, expoſuit eum periculis, confirmavit fratres, ut venientem Jeſum in ſedem naviculæ credentes adorarent!

8. Quem dicunt homines eſse Filium hominis? Vos autem quem me eſse dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius DEI vivi. *Math. 16. 13.*

En unus Petrus pro collegio ſolvit fidei quæſtionem!

9. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. *Ibid. v. 17.*

En diſtinctio Petri, quia cum alii modô humano de Chriſto diſcerent & intelligerent, hic modô cœleſti immediatè a Patre revelatam ſibi veritatem pronuntiavit!

10. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam. *Ibid. 18.*

11. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. *Ibid. v. 19.*

En unitas petræ pro Eccleſia ædificanda Chriſti! En & Vicaria Poteſtas in Clavibus ad unum ſenioremque Apoſtolum in facie Collegii directa in ſingulari; directa autem tanquam privilegium perpetuum, ob primam confeſſionem Divinitatis cœlitus revelatæ, ut poſt Chriſtum Petrus eſſet pater & princeps credentium!

12. Diſſenſione facta de manducatione Corporis Chriſti, & diſcedentibus a Chriſto diſcipulis *Dixit Jeſus ad duodecim Joan. c. 6. 68.* „ *Numquid & vos vultis abire?* „ Reſpondit ergo Simon Petrus (ex parte Collegii) Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius DEI.

En dux verbi Petrus, confirmator & juſtificator Confratrum coram Chriſto in conſtantia fidei!

13. Ad parabolam Chriſti: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. *Luc. c. 12. 41.* Ait Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit dominus ſupra familiam ſuam? Verè dico vobis: quoniam ſupra omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum.

En conteſtatio Chriſti: quia unum ſervum fidelem conſtitutum ſuper familiam ſuam, conſtituet & ſuper omnia, quæ poſſidet!

14. Ad quæſtionem de cenſu ſolvendo: *Math. 17. 24* Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? a fili-

a filiis fuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jefus: Ergo liberi funt filii.

15. Ut autem non fcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum pifcem, qui primus afcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ftaterem: illum fumens, da eis pro me, & te. *Ibid. v. 26.*

En in civilibus cum folo Apoftolo Petro confultatio Chrifti pro libertate filiorum DEI! En & providentia cenfûs de primo pifce, ut unicè ad removendam impetitionem fcandali, Primogenitus DEI, & primo initiatus ejus Vicarius redimeretur!

16. Circa Inftitutionem Cœnæ Domini ,, Surgit Jefus a cœna, venit ergo ad Simonem Petrum lavare pedes. Et dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Refpondit ei Jefus: fi non lavero te, non habebis partem mecum. *Joan. 13. 6. & feq.*

17. Ego autem rogavi pro te Simon, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converfus confirma fratres tuos. *Luc: 22.*

18. In traditione Chrifti per Judam ,, Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percuffit pontificis fervum: & abfcidit auriculam ejus dextram. Dixit ergo Jefus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? *Joan. c. 18. 10. & feq.*

19. Poft Refurrectionem in prandio Collegii ,, Cùm ergo prandiffet, dicit Simoni Petro Jefus: Simon Joannis diligis me plùs his? Dicit ei: Etiam Domine, tu fcis quia amo te. Dicit ei: pafce agnos meos. *Joan. 21. 15.*

20. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu fcis quia amo te. Dicit ei: Pafce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contriftatus eft Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nofti: tu fcis, quia amo te. Dixit ei: pafce oves meas. Sequere me. *Ibid. v. 16. & feq.*

Obfervatio.

En completa Petri creatio & inftitutio in primatum agnorum, feu Apoftolorum, & in Paftorem ovium, feu fidelium converforum, & convertendorum! Quæ inftitutio ficut in facie Collegii

visibilis, visibiliter, & nemine contradicente sub vinculo amoris stetit; ita hanc unitatem primatûs Ecclesiæ & ovilis Christi pastoratum visibilem, nullus rectus naturalista impugnare, restringere, exdividere aut tollere in Summis Pontificibus Romanis tuta fide potest: quin simul sublato Vicariatu summo, etiam dispergat unitatem fidelium, & legem positivam Salvatoris.

§ VI.

Lex & Forma potestatis judiciariæ in Ecclesia.

1. Ait Christus: Neque enim Pater judicat quenquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. *Joan.* 5. 22.

2. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. *Ibid. v.* 27.

3. Vos secundùm carnem judicatis: ego non judico quemquam: & si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater. Et in Lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. *Joan.* 8. 15. & 17.

En translatam potestatem judicandi, à Deo Patre ad Filium, quà Filium hominis!

4. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *Matt.* 5. *v.* 21. & *seq.*

5. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino. *Ibid.*

6. Neque per cœlum, quia thronus DEI est: neque per terram, quia scabellum pedum ejus est: neque per Jerosolymam, quia civitas magni Regis est. *Ibid. v* 33. 35. & *seq.*

En summa regni DEI, & corporalis sedes Jerusalem!

7. Et ei, qui vult tecum judiciô contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. *Ibid. v.* 40.

En correctionem legis veteris in judicio, sed non abrogationem!

8. Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis, quæ dico? *Luc.* 6. 46.

9. Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. *Luc. 17. 3.*

10. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me : dimitte illi, *Ibid. v. 4.*

En judicium fraternum.

11. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum. *Math. 18. 15.*

12. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. *Ibid. v. 16.*

13. Quod si non audierit eos : dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. *Ibid. v. 17.*

En forma processûs judiciarii!

14. Qui autem dixerit fratri suo, raca : reus erit *Concilio.* Qui autem dixerit, fatue : reus erit gehennæ ignis. *Math. 5. c. 22.*

15. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. *Math. 18. 23.*

16 Si quis mihi ministrat, me sequatur. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan. 12. 26.*

17. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, quid faciat? *Joan. 7. 51.*

18. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam : & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël. *Luc. 22. 29.*

19. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebûs, usque ad consummationem sæculi. *Math. ult. 18.*

20. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo. *Math. 18. v. 18.*

Observatio.

En potestas Christi judiciaria, ad Ecclesiam Apostolicam ordinata in lege & forma externa! Potestne de jure naturæ quid simile & sanctius ad justitiam & pacem civium demonstrari in civitate:

sicut

ficut demonftratur ex Chrifto Judice pro Ecclefia de jure revelato? Poteftne hæc forma refcindi a foro externo, ut Ecclefia docens dirigatur tantùm & ponatur in judicio internorum?

§ VII.

Lex & Forma Vitæ, ac Subordinationis Miniftrorum.

1. Videns autem Jefus turbas, afcendit in montem, & cùm fediffet, accefferunt ad eum difcipuli ejus, & aperiens os fuum docebat eos, dicens: *Math. 5. 1. & feq.*

Beati mites: quoniam ipfi poffidebunt terram. Beati, qui lugent: quoniam ipfi confolabuntur. Beati, qui esuriunt & fitiunt juftitiam: quoniam ipfi faturabuntur. Beati mifericordes: quoniam ipfi mifericordiam confequentur. Beati mundo corde: quoniam ipfi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii DEI vocabuntur. Beati, qui perfecutionem patiuntur propter juftitiam: quoniam ipforum eft regnum cœlorum. Beati eftis cum maledixerint vobis, & perfecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverfùm vos mentientes, propter me.

Vos eftis fal terræ. Quod fi fal evanuerit, in quo falietur? Vos eftis lux mundi. Sic luceat lux veftra coram hominibus, ut videant opera veftra bona.

Dico enim vobis, quia nifi abundaverit juftitia veftra plùs quàm Scribarum & Pharifæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Qui ergo folverit unum de mandatis iftis minimis, & docuerit fic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

2. Controvertentibus Difcipulis de majoritate: Chriftus advocans parvulum, ftatuit eum in medio eorum, & dixit: Nifi converfi fueritis, & efficiamini ficut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Math. 18. 3.*

3. Quicunque ergo humiliaverit fe ficut parvulus ifte, hic eft major in regno cœlorum. Et qui fufceperit unum parvulum talem in Nomine meo, me fufcipit. *Ibid. v. 4. & feq.*

4. Petentibus dextram & ſiniſtram in regno Chriſtus reſpondit: Neſcitis quid petatis. Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt á Patre meo. *Math. 20. 22. & ſeq.*

En filii Zebedæi primatum affectabant, ſed à Patre æterno præparatus fuit pro illo Simone, cui primò Divinitatem Filii revelavit!

5. Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes Gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. *Ibid. v. 24. & 25.*

En forma dominandi gentilis pro odioſa, & non imitabili adducitur!

6. Non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. *Ibid. v. 26.*

7. Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis. *Ibid. v. 28.*

En ſubordinatio miniſterialis inculcatur ad normam Chriſti: majoratus verò & primatus pro miniſterio ſervili & oneroſo ambientibus demonſtratur, ut non quærerent in Eccleſia gentiliter dominari, ſed gubernando miniſterialiter ſervire!

§ VIII.

Lex & Forma neceſſitatis ac ſuſceptionis Spiritûs ſancti tanquam Revelatoris myſteriorum, & Gubernatoris Eccleſiæ.

1. Ait Chriſtus ad cœnantes Apoſtolos: Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum: Quò ego vado, vos non poteſtis venire. *Joan. 13. 33.*
2. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Reſpondit Jeſus: Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequêris autem poſtea. *Ibid. v. 36.*
3. Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modò? animam meam

pro

pro te ponam. Respondit ei Jesus: Amen, amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges. *Ibid. v. 37. & seq.*

En pusillanimitas absque Spiritu alto imputatur Discipulis à Christo!

4. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. *Joan. 14. 16. & seq.*

5. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me. *Ibid. v. 18. & seq.*

6. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. *Ibid. v. 26.*

En Spiritus Paraclitus Ecclesiæ docenti ut specialis Doctor promittitur exclusivè à mundo incredulo.

7. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere *Joan. 15. 5.*

8. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. *Joan 16. 7.*

9. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio: De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de justitia verò, quia ad Patrem vado: de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. *Joan: 16. 8. & seq.*

En necessitas Spiritûs Paracliti, tanquam Redargutoris incredulorum per os Apostolicum.

10. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Ibid. v. 12.*

11. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. *Ibid. v. 13. & seq.*

En Christus non omnem legem annuntiavit in Evangelio Ecclesiæ Apostolicæ, sed reservavit annuntiandam, per Spiritum promissum uti specialem Instructorem veritatis!

12.

12. Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum. *Ibid.* 33.

13. Et cum complerentur dies Pentecoſtes: factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes (Apoſtoli) *Act. c.* 2. 1. & *ſeq.*

14. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguîs, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. *Ibid. v.* 4.

15. Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis (turbis mirantibus.) Viri fratres: liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David: quia jurejurando cùm jurâſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus: providens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. *Ibid.* 14. & *ſeq.*

16. Hunc JESUM reſuſcitavit DEUS, cujus omnes nos teſtes ſumus. Dexterâ igitur DEI exaltatus, & promiſſione Spiritûs ſancti accepta, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. *Ibid. v.* 32. & *ſeq.*

17. His autem auditîs, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? *Ibid.*

18. Petrus verò ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unuſquisque veſtrûm in Nomine JESU Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritûs Sancti. Et appoſita ſunt in die illa animæ circiter tria millia (id eſt pro Eccleſia utente.) *Ibid. v.* 37. & *ſequ.*

En promiſſa Chriſti Evangelica de Spiritu Sancto ſunt adimpleta! En Petrus primus miniſter in Collegio exercet publicum officium miniſterii ſui ante diviſionem Apoſtolorum! En audiunt eum Coapoſtoli omnes, & omnis turba! En ſuper petram ejus conſtantiæ in fide fundamenta Eccleſiæ Apoſtolicæ in tribus millibus animarum juxta verbum Chriſti poſita ſunt & ædificata, ut ad normam hanc reliqui Apoſtoli coædificatores Eccleſiæ utentis fierent.

§ IX.

Lex & forma alimentorum corporalium pro Miniſtris Eccleſiæ Regni Chriſti.

1. ,, Petrus autem dixit ad Dominum: ,, Ecce nos dimiſimus omnia,

O

& ſe-

& ſecuti ſumus te. Reſpondens JESUS, ait: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum. *Marc.* 10. 28.

2. Nunc in tempore hoc domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam. *Ibid.* 28. *& ſeq.*

En promiſsio retributionis alimentorum, in utroque ſæculo, aſt cum perſecutione à naturaliſtis!

3. Qui recipit vos, me recipit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. *Math.* 10. 40. *& ſeq.*

En menſa Chriſti pro diſcipulis ſtatuitur ex contractu remunerativo à Chriſto.

4. Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. *Math.* 8. 4.

En reſervatio munerum ex lege Moyſaica pro ſacerdotibus!

5. „ Ait Chriſtus in parabola „ *Math.* 25. Sicut homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Accedens autem & qui unum talentum acceperat ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis ubi non ſeminâſti, & congregas ubi non ſparſiſti: & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt. *v.* 14. *& ſeq.*

6. Reſpondens autem dominus ejus dixit ei: Serve male, & piger, ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepiſsem utique quod meum eſt cum uſura. Tollite itaque ab eo talentum. Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores. *Ibid. v.* 27. *& ſeq.*

En talenta terrena DEI data ſunt ſervis, ut fructificarent etiam ad uſum ſacrum Domini DEI! Et quod ita ſit: En a Chriſto ipſo

Explicatio poſitiva hujus alimentariæ legis.

7. Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes An-

geli cum eo: Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem: ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis. *Ibid. v.* 31.

8. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. *Ib.*

9. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. *Ibid v.* 25. *&* *ſeq.*

10. Tunc reſpondebunt ei juſti dicentes: Domine! quando te vidimus eſurientem, & pavimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te: aut infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? *Ibid. Math.* 25.

11. Et reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Ibid. v.* 40.

12. Tunc dicet & his, qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum &c. *Ibid.*

13. Tunc reſpondebunt ei & ipſi dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Tunc reſpondebit illis dicens:

14. Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. *Ibid. Math.* 25. *v.* 44. *&* *ſeq.*

En judicium remunerativum & condemnativum pro menſalibus!

15. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. „ Ait Chriſtus ad Apoſtolos: „ *Luc.* 22.

„ En menſa Domini ſuper temporalium contributione juſtitiali
„ inſtituta eſt pro Eccleſia Docente! En pro uno fratre, qui
„ in regno repræſentat Chriſtum, & alios paſcit, ſalus, vel da-
„ mnatio! Si alitur, vel non alitur. „

Observatio.

1ma. Positis tot & tantis legibûs ac formulîs, quibus constituitur in terris, & in sede Davidica, regnum Ecclesiæ Christi universale, & positivum: Quid amplius potestatis mundo odioso relictum esse potest; ut huic regno undique per Deum stabilito, & supra jus naturæ formalisato contradiceret, ut authoritatem ejus divideret, rescinderet, approbaret, vel reprobaret, aut de ipsa in scholis civilibus adhuc luctaretur?

2da. Regnum Christi suprá regna mundi, nonne vel ideo præcellit, quia illud ultra leges expressas, habet Spiritum Sanctum Cohabitatorem & Rectorem veritatis præpositum; ista verò non habent, quia hujus regimen & legem, spiritu contradictionis suæ continuò oppugnant, & excludere a civitate nituntur?

3tia. Cùm enim Naturalistæ regnum hoc DEI in Ecclesia militante totaliter ab initio supprimere, & viribûs suis evertere nequiverunt: per partes illud impugnare, potestatem uniformem scindere, atque labefactare non erubescunt; tum religionem naturæ inducunt, tum sacrificia novæ legis attentant, tum ministeria sacerdotii, tum supremum Pastoratum in Ordine Hierarchico oppugnant. Denique ipsam Scripturam & verbum DEI, sub judicium sui æmuli spiritûs trahunt, philosophantes in substantia religionis, supra de Contradict: *P. I. c. I* tali ratione: *Porro sacræ Literæ interpretandæ sunt eodem spiritu, quo fuerunt factæ. Et hic Spiritus toti Ecclesiæ datus cùm sit, Sacræ Literæ veram interpretationnm accipiant ex consensione totius Ecclesiæ.*

En regula Rieggeriana, qua omnem legem Ecclesiæ sub consensum regnorum traxit: & Ecclesiam utentem cum docente in æqualitate spiritûs reposuit is Contradictor. Ast

Responsio.

R. 1mò. Et ubi fides stabit, si omnes potestatem consentiendi vel dissentiendi super interpretatione Scripturæ tenebunt?

R. 2dò. Nonne Hæreses in Christianitate ad hanc consensionem totalem jus sibi efformârunt, & aberrârunt?

R. 3tiò. Nonne Judæi ipsi putantes se in veteri Scriptura Spiritum DEI habere, Prophetas de Messia non intellexerunt, & Authorem vitæ crucifixerunt?

R. 4tò. Nonne Christus Spiritum sanctum mansurum penes Ecclesiam docentem promisit, mundum verò non posse eundem accipere ob incredulitatem declaravit? *Joan: 14*

R. 5tò. Numquid Spiritus Sanctus non septiformis est, & secundùm mensuram donationis Christi impertitur, attestante Apostolo Gentium: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes Virtutes?*

R. 6tò. Numquid hic Apostolus regulam veriorem non præscripsit, de exdivisione donorum Spiritûs Sancti? *1. Cor. 12.* dicens: *Unicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

R. 7mò. Ex eodem Apostolo, qui ordinabat Corinthianos in scripturis tumultuantes. *1. Cor. 14. 26. & seq. Quid est fratres? cùm convenitis, unusquisque vestrûm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet. Sive lingua quis loquitur, secùndum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia. Et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.*

R. 8vò. Quia Actor: C. 2. Spiritus Sanctus descendit super Apostolos duodecim visibiliter, absque consensione aliqua turbarum fidelium Et ex duodecim unus Petrus Dux Apostolicus levavit vocem ad turbas Gentium accurrentium: unus & solus interpretatus est Scripturam veterem, & Prophetas de Christo, de sede David, de Resurrectione, de Promissionibus Spiritûs Sancti, de pœnitentia, & necessitate baptismi in Nomine JESU Christi: ut patet ex ejus sermonibus ibidem iteratis. Ejus tamen interpretatio indigetne hodie novo consensu, & nova interpretatione in Ecclesia dilatata? an indiget ab illis, qui utuntur doctrinâ Petri, fide & executione?

Ergo

Ergo pariter Leges & oracula ſacræ Scripturæ de regno Eccleſiæ Chriſti, de miniſterio & imperio ſacro, de authoritate & infallibilitate ſummorum Pontificum Apoſtolica, atque de aliis ordinatis poteſtatibus Eccleſiæ docentis revelata, promulgata, necnon ſpeciali ſpiritui ad interpretandum ſubordinata; exempta ſunt à judicio poteſtatis civilis, & ab interpretatione eccleſiæ naturalis, quæ utentis & obedientis nomine venit.

Exempta autem indigent ſola fide utentium & executione. Nam etſi forſan quis ex utentibus lege Chriſti poſſideret pſalmum, doctrinam, apocalypſim, & haberet ſpiritum aut ſapientiæ, aut ſcientiæ, aut fidei; unum tamen Diſcretorem ſpirituum, & Judicem in Eccleſia audire de Scripturis oportet. Quia ex Paulo Apoſtolo unus veritatis interpres eſſe debet in Eccleſia, & ſpiritus prophetarum Prophetis ſubjici altioribus tenentur. Tali autem diſcretore & judice ſpirituum utebatur ab initio & utitur Eccleſia Catholica, etiam ex regula legis veteris, Summo Pontifice Romano, Servo Servorum DEI, quem naturaliſtæ gratis impugnant.

CAPUT VII.

De Formulis ſubstantialibus & Legibus Religionis pro Eccleſia docente & utente in Regno Chriſti.

Inductio.

Deducta formâ regiminis, & legibus miniſterii in regno Chriſti infallibilibus, nemo eas Naturaliſtarum pro arbitrariis Eccleſiæ judicet, aut pro accidentalibus. Poteſtatem enim DEI & Redemptoris noſtri ſubſtantialem & immutabilem ad homines comprehenderunt, tanquam thronum & ſceptrum Altiſſimi dirigentis, quo, & a quo, reliqua lex vitæ & diſciplinæ regi ac dependere inſeparabiliter debet, ſuper terram, pro utraque hominum felicitate temporali & æterna. Quoniam Salvator, (ut ipſemet de ſuo officio paſtorali ait) venit ad oves, ut vitam habeant & abundantiùs habeant. Quoniam homo nec temporaliter in ſolo pane vivit: ſed & in omni verbo, quod procedit de ore DEI gubernantis univerſa.

§. I.

§. I.

Lex & forma Pœnitentiæ, ac justificationis hominum.

1. Venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. Parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus. *Math.* 3. 1. & *ſeq.*

2. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua. *Ibid. v.* 6.

3. Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum, venientes ad baptiſmum, dixit eis: Progenies viperarum. Facite dignos fructus pœnitentiæ. *Ibid. v.* 7. & *ſeq.*

4. Et interrogabant eum turbæ: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. *Luc.* 3. 10. & *ſeq.*

5. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. *Ibid. v.* 12.

6. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. *Ibid. v.* 14.

En pœnitentia ad corrigenda in ſtatibus opera, & actus eorum temporales!

7. Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum mundi. *Joan.* 1. 29.

8. Exinde cœpit Jeſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. *Math.* 4. 17.

9. Joannes dixit de ſe & Chriſto: Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni. *Math.* 3. *v.* 11.

10. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto: non poteſt introire in regnum DEI, ait Chriſtus. *Joan.* 3. 5.

11 Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. *Math.* 5. 23. & *ſeq.*

12. Aderant autem quidam ipſo in tempore, nuntiantes Jeſu de Galilæis: quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum (occidit.) Reſpondens autem illis Jeſus dixit: Dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. *Luc. 13. & ſeq.*

13. Sicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jeruſalem? Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. *Ibid. v. 4 & ſeq.*

14. Homo, remittuntur tibi peccata tua. Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata: ait paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Luc. 5. 24.*

En pœnæ temporales pro impœnitentibus, & ſanatio ſimul corporalis pro credulis pœnitentibus!

15. Dixit Jeſus Simoni Phariſæo: Vides hanc mulierem? (Magdalenam pœnitentem) Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata: Fides tua te ſalvam fecit: vade in pace. *Luc. 7. 44. & ſeq.*

16. Ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare: Et extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens: Volo: mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus. Et ait illi Jeſus: Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. *Math. 8. 2. & ſeq.*

17. Occurrerunt ei decem viri leproſi. Quos ut vidit Jeſus dixit: Ite: oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt. Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus eſt, regreſsus eſt cum magna voce magnificans Deum (Samaritanus) Cui Jeſus dixit: Surge, vade: quia fides tua te ſalvum fecit. *Luc. 17. 14. & ſeq.*

18. Ait Jeſus ad Apoſtolos: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. *Joan. 20. 23.*

19. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphemaverint: qui autem blaſphemaverit

maverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. *Marc. 3. 28. & seq.*

En lex distinctionis & reservationis peccatorum!

20. Dives sepultus in inferno ait ad Abraham: Rogo ergo te Pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres ut testetur illis; ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. *Luc. 16. 27. & seq.*

21. Ait illi Abraham: Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos. At ille dixit, Non, Pater Abraham: *Sed si quis ex mortuis ierit, pœnitentiam agent*. Ibid.

22. Ait autem illi: si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. *Ibid. 30.* Verba sunt Christi.

En divitibus fugere pœnitentiam temporalem ex Lege revelata, est incidere in pœnitentiam æternam!

23. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, Et ecce plus quàm Jonas hic. *Luc. 11. 32.*

24. Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde: *Luc. 4. 16.* ait Salvator.

En contritio sanat & justificat pœnitentes! Hanc autem contritionem cordis quis Remissor peccatorum sine confessione secreta consequetur in Ecclesia, cum solus Christus qua Deus, noverat intima cordis! Ideo Apostolus admonuit. *Jac. 5. 16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini!*

§ II.

Lex & forma Fidei in SSSmam Trinitatem.

1. Judæi de paternitate sua disputantes dixerunt ad Jesum: Nos ex fornicatione non sumus: Unum Patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus Pater vester esset: diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, & veni. *Joan. 8. 41. & seq.*

Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere: (me interficere) ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Qui ex Deo est, verba Dei audit. *Ibid. v. 44. & seq.*

2. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic & Filius, quos vult, vivificat. Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. *Joan. 5. 21. & ſeq.*

3. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Si enim non credideritis quia ego ſum: moriemini in peccato veſtro. *Joan. 8. 23. & ſeq.*

4. Dicebant ergo ei Judæi: Tu quis es? Dixit eis Jeſus: Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, & judicare: ſed qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum. *Ibid. v. 25. & ſeq.*

5. Circumdederunt eum ergo Judæi, & dicebant ei: (in Porticu Salomonis) Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis Jeſus: Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Ego & Pater unum ſumus. *Joan. 10. 24. & ſeq.*

Petrus autem ait: Tu es Chriſtus Filius DEI vivi. *Math. 16. 15.*

6. Ait Chriſtus ad Diſcipulos ſuos: Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Creditis in Deum, & in me credite. *Joan.* 14. 1.

7. Dicit ei Philippus: Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Reſpondit Jeſus: Philippe, qui videt me: videt & Patrem meum. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? *Ibid. v. 8. & ſeq.*

8. Alioquin propter opera ipſa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. *Ibid. v.* 12.

9. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. *Ibid. v. 13.*

10. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a ſemetipſo: ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. *Joan. 16. 13.*

11. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. *Ibid. v. 14. & ſeq.*

12. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amâſtis, & credidiſtis, quia ego a Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. *Ibid. v. 27. & ſeq.* 13.

13. Dicunt ei Diſcipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris. Nunc ſci mus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, ut quis te interroget. in hoc credimus, quia a Deo exiſti. *Ibid. v. 29. & ſeq.*

14. Hæc locutus eſt Jeſus: & ſublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis. Hæc eſt autem vita æterna: Ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. *Joan. 17. 1. & ſeq.*

15. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. *Joan. 15. 26. & ſeq.*

16. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebûs, uſque ad conſummationem ſæculi. *Math. ult. v. 19. & ſeq.*

17. Joannes Baptiſta teſtimonium perhibuit de Chriſto: Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. *Joan. 3. 31*

18. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira manet ſuper eum. *Ibid. v. 35. & ſeq.*

19. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. *Math. 10. 32. & ſeq.*

10. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. *Joan. 17. 24.*

En ſummam legem ſummumque objectum Religionis, prædicationis, & confeſſionis in Eccleſia Chriſti revelata! Attigeruntne illam aliquando naturaliſtæ ſua recta ratione, ut abſque illuſione DEI veri, & abſque ſeductione populi religionem naturalem poſse ad civitatem introduci convenifsent, & certò concluſiſsent?

Deus aliud nefcivit & nefcit, nifi vera & necefsaria hominibus revelare: Recta ratio hominis aliud nefcivit & nefcit ab initio, nifi de revelatis veritatibus & neceffitatibus, dubitare, fufpicari, difputare, & ambigere: ut lumen ejus naturale non fubjaceat Lumini fupernaturali!

Sicut autem Judæi hunc errorem naturalem errabant difputantes cum Chrifto, ita eundem errorem errant falfi Chriftiani difputantes de Trinitate cum Ecclefia Docente, quæ unica eft Revelatrix Religionis!

§ III.

Lex & Forma constituens Sacrificium Ecclesiæ, & Hostiam Laudis.

1. *Ait Chriftus*: Ego fum panis vivus, qui de cœlo defcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea eft pro mundi vita. *Joan. 6, 51. & feq.*
2. Operamini non cibum qui perit, fed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater fignavit Deus. *Ibid. v. 27.*
3. Non Moyfes dedit vobis panem de cœlo, fed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim DEI eft, qui de cœlo defcendit, & dat vitam mundo. *Ibid. v. 32.*
4. Dixerunt ergo ad eum:(turbæ)Domine,femper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jefus: Ego fum panis vitæ: qui venit ad me, non efuriet: & qui credit in me, non fitiet unquam. *Ibid. 34. & feq.*
5. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiffet: Ego fum panis vivus, qui de cœlo defcendi: & litigabant ad invicem, dicentes: Quomodo poteft hic nobis carnem fuam dare ad manducandum? *Ibid. v. 41. & feq.*
6. Dixit ergo eis Jefus: Amen, amen dico vobis: Nifi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam: & ego refufcitabo eum in noviffimo die. *Ibid. v. 54. & feq.*

7. Caro mea verè eſt cibus : & Sanguis meus verè eſt potus : qui manducat meam Carnem , & bibit meum Sanguinem , in me manet, & ego in illo . *Ibid. v. 56. & ſeq.*

8. Sicut miſit me vivens Pater , & ego vivo propter Patrem : & qui manducat me , vivet propter me. *Ibid. 58.*

9. Hic eſt panis , qui de cœlo deſcendit . Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna , & mortui ſunt Qui manducat hunc panem , vivet in æternum . Hæc dixit in Synagoga docens , in Capharnaum . *Ibid. v. 59.*

10. Scandalizatis autem de ſermone tali dixit : Hoc vos ſcandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat priùs ? *Ibid. v. 62. & ſeq.*

11. Spiritus eſt , qui vivificat : caro non prodeſt quidquam . Verba quæ ego locutus ſum vobis , ſpiritus & vita ſunt . Sed ſunt quidam ex vobis , qui non credunt . *Ibid. v. 64 & ſeq.*

12. Solvite templum hoc , & in tribus diebus excitabo illud . Ille autem dicebat de templo corporis ſui . *Joan. 2. 19. & 21.*

13. Dixit mulier Samaritana Chriſto : Patres noſtri in monte hoc adoraverunt , & vos dicitis , quia Jeroſymis eſt locus, ubi adorare oportet . *Joan . 4. 20.*

14. Dicit ei Jeſus : Mulier crede mihi , quia venit hora , quando neque in monte hoc , neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem . Vos adoratis quod neſcitis ; Nos adoramus , quod ſcimus , quia ſalus ex Judæis eſt. *Ibid. v. 20. & ſeq.*

15. Sed venit hora , & nunc eſt , quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate . Nam & Pater tales quærit , qui adorent eum . Spiritus eſt Deus : & eos , qui adorant eum , in ſpiritu & veritate oportet adorare . *Ibid. 23 & ſeq.*

16. Qui non honorificat Filium , non honorificat Patrem , qui miſit illum . Amen , amen dico vobis : quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam. *Joan. 5. v. 23.*

17. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo : ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo. *Joan. 5. v. 26.*

18. Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto : ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis qui credit in ipſum, non pereat , ſed habeat vitam æternam . *Joan. 3. 44.*

19. Quidam de simul discumbentibus dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno DEI. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos: Et cœperunt simul omnes excusare: Non possum venire. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam. *Luc. 14. v. 15. & seq.*

20. Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: surgit à cœna: deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum. Dicit Simoni: Et vos mundi estis, sed non omnes. *Joan. 13. 1. & seq.*

21. Et ait illis: Desideriô desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno DEI. *Luc. 22. 15. & seq.*

22. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. *Ibid. 19.*

23. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur. *Ibid. v. 20.*

24. Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate. *Joan. 17. 19.*

25. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit unum hominem mori pro populo. *Joan. 18. 14.*

26. Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Cùm ergo accepisset Jesus accetum (in Cruce) dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. *Joan. 19. 28. & seq.*

27. Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis, & aqua. *Ibid. v. 34.*

28. Et factum est, dum recumberet cum Discipulis, (postquam resurrexit) accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. Et dixerunt ad invicem: quomodo cognoverunt eum in fractione panis. *Luc. 24. 30.*

29. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus

poeni

pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma. *Ibid. v. 46. & ſeq.*

30. Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno: & erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum. Amen. *Ibid. ultim.*

Obſervatio.

En Lex ſubſtantialis, quæ eſt pro ſacrificio vitæ totius mundi. Verumtamen naturaliſtæ invadunt eam, & tanquam de ſermone duro, cibandi ſe & ſacrificandi in Corpore Chriſti, adhuc impunè litigant de illa, atque Eccleſiam ſacrificantem derident cum Judæis: *Quomodo hic poteſt nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Ideo materialiſtæ garriunt ſibi: *Spiritualia ſunt poſita in voluntate non in neceſſitate.* ,, *ſupra de Contradictionibus*: ,, ut ſic ipſum Sàcrificium Corporis & Sanguinis Chriſti in Cruce abſolutum, extra neceſſitatem ſalutis humanæ reponant!

Cùm autem impunes religionem naturalem introducant, advocatiamque illi ſtatuant, dicentes: *At jus circa ſacra à Majeſtate divelli repugnat. Illius ſemper erit officium, ut ſubſtantialia Religionis tueatur & defendat tanquam Reipulicæ vincula:* ait Riegg:

Quorſum eſt ergo advocatia Religionis apud naturaliſtas: ſi ſpiritualia in voluntate, non in neceſſitate locum tenent? Quorſum, inquam, tendit repugnantia illa, quòd jus circa ſacra à Majeſtate inſeparabile eſt: ſi tale jus naturæ, nec Majeſtatibus, nec populis poſitivè nominatur, ſpecificatur, explicatur, demonſtratur? Quorſum porro officium Majeſtaticum tuendi ſubſtantialia religionis dirigitur a naturaliſtis: & leges talium ſubſtantialium vinculorum in Republica ſubticentur, quò ad Legiſlatorem, qualitatem, & quantitatem, minimè per eoſdem pro Eccleſia Chriſtiana exponuntur?

Recta ratio igitur imaginaria apud illos eſt, qui in Religione DEI, Legem DEI pro veritate naturali non producunt, ſed pro jure naturæ certant acſi pro fonte veritatis. Chriſtus enim quæcunque dixit, & ſtatuit, teſtimoniîs & Legibûs revelatis comprobavit

vit ex Deo : Naturaliſtæ quæcunque dicunt & ſtatuunt, nullibi comprobant dicta eſſe ſua & ſtatuta ex Deo, aſt ſe prophetas rectæ rationis humanæ liberos & independentes in civitate ſimulant, & garriunt. Nonne inter prima ſubſtantialia Religionis tuenda, eſt Lex de Deo uno in Trinitate, de Pœnitentia, de Sacrificio placabili? Et quis hanc Legem pro vinculo Reſpublicæ Majeſtatico, pro objecto defenſionis, & advocatiæ regalis quondam, & ad præſens ſacrato, ſubſtantialiter credit, ſuſtinet, ac majeſtaticè tuetur?

Semper, & ubique Lex Religionis revelata, quod fuiſset in mundo ſpectaculum, ridiculum, & quaſi peripſema indefenſum: Teſtamenti veteris revelatio teſtimonium perhibet, quia ad illud gentiles Reſpublicæ & Majeſtates non acceſserunt. Et quòd Lex Religionis Chriſti ſubſtantialis indefenſa apud Naturaliſtas maneat, pariterque comicæ diſputationi expoſita ſit. Teſtimonium perhibent Trinitarii. Antitrinitarii, Sacramentarii, Antiſacramentarii, Baptiſtæ, Anabaptiſtæ, Pœnitentiarii & Antipœnitentiarii, adeò, ut officium advocatiæ regalis erga veram Religionis Legem hodie pro vacanti palam conſpiciatur. Invaſores verò & detractores Legum regni DEI pro utili & neceſsario ſcandalo in Religione nedum tolerantur, aſt plerumque etiam prœmiantur!

§ IV.

Lex & Forma Subſtantialis de officiis Eccleſiæ docentis erga utentem, & è contra.

Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum. Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleô multos ægros, & ſanabant. *Marc. 6. v. 7. 12. & ſeq.*

2. Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſo venturus. Et dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. *Luc. 10. 1. & ſeq.*

3. Et in quamcunque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos, qui in

illa

illa ſunt: & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. Et ſi non ſuſceperint vos: exeuntes in plateas ejus, dicite: Etiam pulverem, qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquavit regnum Dei. *Ib v. 8. & ſeq.*

4. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. *Ibid. v. 16.*

5. Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in Nomine tuo. *Ibid. v. 17.*

En officium Eccleſiæ docentis agendi poteſtativè in ſpiritus immundos & dæmones, agendi in corpora ægra in oleo unctionis ſanctæ, agendi in cives incredulos reprehenſivè, tanquam in contemptores regni Dei! Et quanti ſunt contradictores hodie, qui hujuſmodi officia & poteſtatem multifariè ab Eccleſia Chriſti excutiunt, ac tollere impunè nituntur?

6. Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant. Et ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant. *Marc. 6. 30.*

En Officium Apoſtolicum referendi ſe ad Caput protunc Viſibile miſſionis, & narrandi de omnibus actis, atque doctrinis!

7. Et exiens vidit turbam multam Jeſus: (converſam ab Apoſtolis,) & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oves non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa. *Ibid. v. 34.*

8. Et dixerunt diſcipuli ejus: Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent. Et reſpondens, ait illis: Date illis vos manducare. *Ibid. v. 36. & ſeq.*

9. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cùm cognoviſsent, dicunt: Quinque, & duos piſces. *Ibid.* Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes, ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum. Et diſcubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos. *Ibid. v. 38. & ſeq.*

En cura Eccleſiæ docentis circa converſos & egenos, ex officio & impoſitione à Chriſto.

10. Et acceptis quinque panibûs, & duobus piſcibûs, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit Diſcipulis ſuis, ut po-

nerent ante eos: & duos pifces divifit omnibus. Et manducaverunt omnes, & faturati funt. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum. *Ibid v. 41. & feq.*

11. Ut autem impleti funt, dixit difcipulis fuis: Colligite quæ fuperaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ fuperfuerunt his, qui manducaverunt. *Joan. 6. 12. & feq.*

12. Jefus ergo cùm cognovifset, quia venturi effent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipfe folus. *Ibid. v. 15.*

En pro Apoftolis ordinatio normalis providendi de alimentis fidelium phyficis, quæ eft fimul inftructiva de providendo Pane Euchariftico.

13. Refpondit enim Jefus turbæ fefe quærenti, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidiftis figna, fed quia manducâftis ex panibus, & faturati eftis. *Ibid. 6. 26. & feq.*

14. Operamini non cibum qui perit, fed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater fignavit DEUS. Ego fum panis vitæ. *Ibid. v. 27. & 48.*

En officium Ecclefiæ ex corporalibus fructum fpiritualem indicare, & facere! Ita enim Jefus ex aqua faciens vinum in Cana Galilææ, manifeftavit gloriam fuam, & crediderunt in eum difcipuli ejus. *Joan. 2. 11.*

15. Et prope erat Pafcha Judæorum, & afcendit Jefus Jerofolymam: & invenit in templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & nummularios fedentes. Et cùm feciffet quafi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & nummulariorum effudit æs, & menfas fubvertit. *Joan. 2. 13. & feq.*

16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ifta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. *Ibid. v 16.*

En Officium Ecclefiafticum etiam in flagello zelandi pro fanctitate Domûs DEI! En fimul & tollendi corpora facrificii veteris, ut facrificio Corporis Chrifti in Spiritu Sancto locus dignè præparetur.

17. Væ vobis duces cœci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti, & cœci: Quid enim majus eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? *Matth. 23 26.*

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil eſt: quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. Cœci: Quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum? *Ib. v. 18 & ſeq.*

19. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt: & quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui jurat in cœlo, jurat in throno DEI, & in eo qui ſedet ſuper eum. *Ibid. 20. & ſeq.*

En ex reprehenſione officii Phariſaici, inſtauratur officium pro Eccleſia docente, quid circa templa, altaria, dona eorum, & abuſum juramentorum per ſacra, corrigere, & reformare debeant!

20. Ait Chriſtus adverſariis ſuis: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: quia Ego dixi: dii eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo DEI factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphemas: quia dixi, Filius DEI ſum? *Joan. c. 10. 34.*

21. Dixit autem ad illos (adverſarios:) Quomodo dicunt Chriſtum, filium eſse David? & ipſe David dicit in Libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus eſt? *Luc. 20. 41. & ſeq.*

22. Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis: Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras in Synagogis: ſimulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem. *Ibid. v. 46.*

23. Intuemini, & cavete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete á fermento Phariſæorum, & Sadducæorum? Tunc intellexerunt (diſcipuli) quia non dixit cavendum a fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum. *Math. 16. v. 6. & ſeq.*

24. Lex & Prophetæ, uſque ad Joannem: ex eo regnum DEI evangelizatur, omnis in illud vim facit. Facilius eſt autem cœlum &

terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere. *Luc. 16. & seq.* Non veni solvere legem, sed adimplere.

25. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Math. 7. 15. & seq.*

En officium Ecclesiæ Apostolicæ ac docentis est Divinitatem Christi ex veteri quoque Lege & Psalmis declarare, doctrinam veram à falsa separare, falsos prophetas & doctores, ut fermentum fidei atque fidelium, a communione sua rescindere, & vitare.

26. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. *Luc. 11. 45.*

27. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines operibûs, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant (in regnum Dei) prohibuistis. *Ibid. 46. & seq.*

28. Cœpit autem dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *Luc. 12. 1.* Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Nonne quinque passeres væneunt dipondiô, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribûs pluris estis vos. *Ibid. v. 4. & seq.*

29. Cùm autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite soliciti esse, qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. *Ibid. v. 11. & seq.*

En ex redargutione Legisperitorum publica, indicat Christus officium suum, & ad Ecclesiam docentem transfert: arguendi eos, qui onerant plebem, qui impediunt introëuntes ad unum ovile, qui sæviunt in Prophetas cœlitus ad se ordinatos; idque redarguendi in virtute Spiritus Sancti, qui redargutor est mundi de peccato, & de justitia, & de judicio, promissus. *Joan. 16. 8.*

30. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in Nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: diſcedite a me, qui operamini iniquitatem. *Math.* 7. *v* 21. *&* *ſeq.*

31. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam. *Ibidem.*

32. Et factum eſt: cùm conſummâſset Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi. *Ibidem* *v.* 28. *&* *ſeq.*

33. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere. Omnia verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus. *Math.* 23. 2. *&* *ſeq.*

34. Egreſsus Jeſus de templo, ibat. Et acceſserunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationem templi. Ipſe autem reſpondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis: Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur. *Math* 24. 1. *&* *ſeq.*

35. Dic nobis, quando hæc erunt? Et reſpondens Jeſus, dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat. Multi enim venient in Nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus: & multos ſeducent. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *Ibid.*

En Eccleſiæ docentis eſt diſcernere inter invocatores Nominis Domini externos, & non factores voluntatis Dei internos: inter operantes mirabilia, & abutentes Nomine Chriſti ad ſuam gloriam: inter legis doctores, & non factores legis: inter chriſtos falſos hæreſum, & inter Chriſtum ſemel revelatum & infallibilem! Porro dijudicare, quæ eſt domus Dei fundata ſuper petram veritatis, & quæ ſuper arenam fallaciæ.

36. Abiit Jeſus per ſata ſabbatô: Diſcipuli autem ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare. Phariſæi autem videntes, di-

xerunt

xerunt: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere ſabbatis. *Math. 12. 1. & ſeq.*

37. At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? *Ibid. v. 3. & ſeq.*

38. Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis, quia templô major eſt hic. Si autem ſciretis, nunquam condemnâſſetis innocentes. Dominus enim eſt Filius hominis etiam ſabbati. *Ibid. v. 5. & ſeq.*

39. Et interrogabant eum in Synagoga de homine aridam manum habente: Si licet ſabbatîs curare? ut accuſarent eum: Jeſus autem exemplificans de ove in puteum cadente reſpondit:

40. Quantò magis melior eſt homo ove? Itaque licet ſabbatîs benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera. *Ibid. v. 12. & ſeq.*

41. Dixerunt Scribæ ad Jeſum: Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas, cùm panem manducant. Ipſe autem reſpondens, ait illis: Quare & vos tranſgredimini, mandatum DEI propter traditionem veſtram? *Math. 15. 1. & ſeq.*

42. Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem; et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. *Ibid. v. 3. & ſeq*

43. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens: Populus hic labiîs me honorat: cor autem eorum longè eſt a me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. *Ibidem v. 7. & ſeq.*

44. Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ communicant hominem. *Marc. 7. 14. & ſeq.*

45.

45. Dicebat autem Discipulis: quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala abintus procedunt, & communicant hominem. *Ibid. 20. & seq.*

Observatio.

En ex disputatione Christi cum Pharisæorum hæresi & Sadducæorum, exurgunt Officia Ecclesiæ Apostolicæ: *1mò.* Quòd unus esse debeat controversiarum judex, & secundùm Legem Dei diremptor. *2dò.* Quòd mandata & traditiones hominum, & Mandata atque Traditiones Dei judiciô speciali indigent, ad discernendum: An doctrinæ & mandata hominum, ex causa cultûs Dei, an ex hypocrisi docentium: an ex bonitate cordis, vel ex malitia cordis proveniant?

Quare enim Pharisæi zelantes pro lege sabbati perdunt causam coram Christo? quia contra charitatem in Apostolos esurientes zelabant, & contra charitatem de infirmis curandis sensum a Domino sabbati perquirebant. Quare perdunt causam & pro traditionibus seniorum suorum? quia hæ externam munditiem imponebant, & internam, quæ coinquinat hominem, non attingebant, leviora legis sonabant, & graviora mandata Dei irritabant, felicitati filiorum inhonorantium parentes temporali indulgebant, & cor eorum a felicitate æterna excludebant.

Quod ergo jus Dei revelatum ligabat: hoc in ipsis docentibus jus naturæ affectatum dissolvebat. Sicut & in nostris Naturalistis dissolvit, qui docent: *Legem Hebraicæ Synagogæ nemo nobis imposuit. Religio revelata felicitati temporali repugnare nullo modo potest. Revelatio facta est, ut rationi succurrat in iis cognoscendis, quæ suis relicta viribus assequi non potest.* Nonne hæ regulæ Rieggerianæ sunt traditiones & doctrinæ juris humani, quæ Legem Dei veterem & novam postponunt, necnon vincula regni Christi dissolvunt?

§. V.

§. V.

Lex & forma Ecclesiæ ulterior de Officiis in regno Christi erga utentem Ecclesiam.

Excolendi ut arborem ſterilem ſub uno cultore.

1. Erat autem docens in Synagoga eorum ſabbatis: Dicebat autem
& hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam
in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit.
Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo
venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: Succi-
de ergo illam: ut quid etiam terram occupat? At ille reſpon-
dens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque
dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit
fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam. *Luc. 13. 6. & ſeq.*

2. Dicebat ergo Jeſus: Cui ſimile eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtima-
bo illud? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in
hortum ſuum, & crevit, & factum eſt in arborem magnam: &
volucres cœli requieverunt in ramis ejus. *Ibid. v. 18. & ſeq.*

3. Et iterum dixit: Cui ſimile æſtimabo regnum Dei? Simile eſt fer-
mento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, do-
nec fermentaretur totum. *Ibid. v. 20.*

En eccleſiam, quæ non fructificavit in arbore ſvavi, excretu-
ram in ſemine amaro, & acido, & minuto, paulatim in unam
maſsam & arborem magnam quietis, ex virtute unius horti, &
unius hominis, ut ſic magnificetur regnum Dei in ea. Et hæc
poſt Judaicam eſt Eccleſia Catholica.

Nutriendi eandem arborem verbô unius ſidei in Chriſto.

4. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.
Math. 15. 13.

5. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habe-
re: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Claritatem ab
hominibus non accipio. *Joan. 5. 39. & ſeq.*

6. Quo-

6. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis? Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. *Ibid. v. 44. & ſeq.*

7. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis: quomodo verbis meis credetis? *Ibid. v. 46. & ſeq.*

8. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? *Math. 7.* Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. *Ibid. v. 17. & ſeq.*

9. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum, cognoſcetis eos (id eſt falſos doctores.) *Ibid. v. 19.*

En officium Eccleſiæ docentis in ſola Lege revelata eradicare infidelitatem, & plantare, ac confovere fidelitatem. Chriſtus enim totius fidei in ſe & in Deum Patrem poſuit teſtimonium ex Lege & Literis Moyſis, non poſuit teſtimonium ex lege naturæ, dicens: *Claritatem ab hominibus non accipio.*

10. In vias gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: ſed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domûs Iſraël. *Matth. 10. 5. & ſeq.*

11. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos. *Ibid. v. 16. & ſeq.*

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum. *Ibid. v. 21. & ſeq.*

13. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt: quantò magis domeſticos ejus? *v. 24. & ſeq.*

14. Ne ergo timueritis eos. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. *Ibid. v. 26.*

15. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. *Ibid. v. 31.*

En officium Eccleſiæ docentis anteponere in convertendis Iſraëli-

litis curam ſupra gentiles! En officium clarum: ut non obſtante diviſione civili, ac repugnantia jurium naturæ inter conſanguineos, atque non obſtante odio & infelicitate temporali Prædicatorum, fieret prædicatio fidei & Legis Chriſti publica, in lumine & ſuper tecta civitatis!

§ VI.

Lex & Officium Eccleſiæ docentis, remedia purgationis peccatorum à Chriſto relicta, condiſtinguendi, ad formam externam reducendi, & applicandi ad ſalutem.

1. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni: cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Luc. 3. 17. & ſeq.*
2. Magiſter, attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum: qui allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibûs, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt. *Marc. 9. 16.*
3. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lachrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam. *Ibid. v. 22. & ſeq.*
4. Et cùm videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens: Surde & mute ſpiritus, exi ab eo: & ampliùs ne introëas in eum. Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt. Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit. *Ibid. v. 24. & ſeq.*
5. Et cùm introiſset Jeſus in domum, diſcipuli ejus ſecretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio. *Ib.*

En exemplum Exorciſmi Obſeſſorum a ſpiritu malo, ad cujus formam neceſsaria fides patrina, adjuratio dæmonis, atque ejicientis oratio & jejunium! Venitne hoc a jure naturæ: aut praxis & forma à fictione Eccleſiæ?

Si dicis: Semel morte Christi victus est & ejectus de mundo dæmon ? ℟. Et cur post mortem Christi Apostoli ejiciebant eum ? Victus ille est, & ideo recedebat a credulis, non recedebat nec recedit ab incredulis.

6. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in aures ejus: & expuens, tetigit linguam ejus. *Marc.* 7. 32. & *seq.*

7. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Et turbæ prædicabant: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. *Ibid. v.* 37.

En externa forma Christi, siquidem in Cæremoniis Exorcismorum Ecclesiæ Catholicæ exercetur, eritne extra necessitatem & sanctitatem Evangelicam posita ac usurpata in Baptismo ?

8. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. *Joan.* 5. 2. & *seq.*

9. Hunc cùm vidisset Jesus jacentem, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dicit illi Jesus: surge, tolle grabatum tuum, & ambula. *Ibid. v.* 6. & *seq.*

10. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ibid. v.* 14.

Ecce languidi ob peccata expectabant motum piscinæ per Angelum ad se purgandum & sanandum, habueruntque porticus quinque expectationis, patientiæ, & desiderii sui, tanquam loca pœnæ & purgatorii temporalis, ad tempus de cœlo definitum in Ecclesia vetere !

11 Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cœci. Et dicit eis Jesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis ? Dicunt ei: Utique, Domine. *Math.* 9. 28.

13. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum. *Ibid.* 29.

15. Et præteriens Jeſus vidit hominem cœcum à nativitate: expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei: vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Miſsus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns. *Joan. 9. 1. & ſeq.*

14. Audivit Jeſus quia ejecerunt eum foras: (Judæi) & cùm inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium DEI? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum?

15. Et dixit ei Jeſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. & procidens adoravit eum. *Ibid.* 35.

16. Et dixit Jeſus: in judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cœci fiant. *Ibid. v.* 39.

17. Et audierunt quidam ex Phariſæis, & dixerunt ei: Numquid & nos cœci ſumus? Dixit eis Jeſus: ſi cœci eſsetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet. *Ibid. v. 40. & ſeq.*

En Inſtitutor Eccleſiæ Chriſtus, ab externis rebus ad internam fidem peccatores reducit, & ex forma externa cœcorum ad internam cœcitatem applicat judicium: ut Eccleſia viſibilis ſimiliter in ſanandis & purgandis peccatis procedat!

18. Dicunt ei Judæi: In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem ut iſta facias? Jeſus autem ait illis: reſpondete mihi: Baptiſmus Joannis, de cœlo erat, an ex hominibus? *Mar. c. 11. v. 28.*

19. At illi cogitabant ſecum, dicentes: Si dixerimus, De cœlo, dicet: Quare ergo non crediſtis ei? Et reſpondentes dicunt Jeſu: Neſcimus. Et reſpondens Jeſus, ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam. *Ibid. v. 31. & ſeq.* „Quia ex baptiſmo dignoſcitur poteſtas.„

20. Dicebat autem ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit; & ita fit. & cùm auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus (regni DEI) quomodo non probatis? *Luc. 12. 54. & ſeq.*

21. Quid autem & a vobis ipſis non judicatis quod juſtum eſt? Cùm autem vadis cum adverſario tuo ad principem, in via da operam

liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. *Ibid. v. 57.*

En reprehensio rationis rectæ in turbis. quód hæc mutationem temporum ex signis cœli externis judicare scit: adventum verò regni DEI ex signis Christi mirificis, cognoscere nescit! En simul Viatoribus Reconciliatio necessaria cum Deo & cum adversariis proponitur sub rigore carceris justitiæ, sive purgatorii ad plenam satisfactionem debitorum; ut Ecclesia docens, pariter errantem rectam rationem in Legibus Divinis dedoceret, per visibilia illam, ad invisibilia rectificando!

22. Et respondens Jesus, dixit iterum: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Et servos ejus occiderunt. *Matt. 22. v. 1.*

23. Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibûs suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. *Ibid. v. 7.*

24. Tunc ait servis suis: Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. *Ibid. v. 8. & seq.*

25. Intravit autem rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. *Ibid. v. 11.*

26. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibûs & pedibûs ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. *Ibid. v. 13. & seq.*

27. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. *Math. 18. v. 18. & seq.*

En status regni cœlorum assimilatus est in terris vinculo & officiis nuptiarum, Filii Regis altissimi cum natura humana, & Ecclesia justorum, tanquam cum electa Sponsa! En & officium servorum

&miri-

& miniſtrorum regis cum dignis & indignis procedendi, in congregando admittendoque vocatos ad uſum ſacramentorum nuptialium, necnon in ſecernendo ab eorum abuſu!

28. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. *Luc. 12. 32. 35.*

29. Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis. *Ibid. v. 36.*

30 Dixit autem Dominus (Petro:) Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? *Ibid. v. 42.*

31. Beatus ille ſervus, quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem. Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multîs. *Ibid. v. 43. & 47.*

32. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagîs, vapulabit paucîs. Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *Ibid. v. 48.*

En puſillus grex ſervorum Eccleſiæ docentis aſſimilatur hominibus expectantibus dominum nuptiarum! Et ſignanter præpoſitus diſpenſator, qui non præparaverit eſcas nuptiales ſacramentorum, juxta data ſibi multa, multum domino reſpondebit!

33. Chriſtus ait de peccatoribus recipiendis: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens. *Luc. 15. v. 4. & ſeq.*

34. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ. *Ibid. v. 7.*

35. Ait filius prodigus: Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis. *Ibid. v. 18.*

36. Dixit autem pater ad ſervos ſuos: cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus. *Ibid. 22.*

37. Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Et cœperunt epulari. *Ibid. v. 23. & ſeq.*

En forma ampleĉtendi peccatores in domo DEI, cæremonialis eſt, ſed ſubſtantiam reconciliationis, & vitæ pœnitentiam cum Patre æterno ſignificat: quia Chriſtus dixit: *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis DEI, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

§ VII.

Lex & officium Eccleſiæ Docentis Mores, ſive Diſciplinam exercendi erga Eccleſiam utentem, in juſtitia revelata.

1. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. *Joan. 14. 12.*
2. Adhuc modicum, & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, & vos vivetis. *Ibid. v. 19*
3. Si de mundo fuiſsetis, mundus quod ſuum erat diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. *Joan. 15. v. 59. & ſeq.*
4. Et ait ad diſcipulos ſuos: Impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala: væ autem illi, per quem veniunt. Utilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis. *Luc. 17. 1. & ſeq.*
5. Et dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & tranſplantare in mare: & obediet. *Ibid. v. 5. & ſeq.*
6. Quis autem veſtrûm habens ſervum arantem aut paſcentem, quì regreſso de agro dicat illi: ſtatim tranſi, recumbe: & non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem & bibam, & poſt hæc tu manducabis & bibes? *Ib. v. 7.*

7.

7. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. *Ibid. v. 9. & seq*

En Ecclesia docens electa est & separata de mundo: electa autem ad operandum velut ille servus arator & pastor, qui rediens de agro dominico missionis ad domum domini, adhuc servire debet mensæ domini, priusquam ipse manducet, & bibat, aut recumbat post laborem: idque ideo, quia non operatur servus ex gratia, sed ex debito, neque ad suam sed ad domini utilitatem! Si ergo juxta Dominum Ecclesia utens ager Dominicus est: quomodo non obediet ager servo aranti & pascenti?

8. Dicebat autem ad discipulos suos (Jesus:) Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipâsset bona ipsius. *Luc. 16. 1.* Villicus convocatis singulis debitoribus domini sui, ut se reciperent in domos suas tanquam amovendum ab officio villicationis, dimidiavit cautiones eorum & debita. *Ibid.*

9. Et laudavit dominus villicum inquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus sæculi prudentiores filiîs lucis in generatione sua sunt. *Ibid. v. 8.*

10. Et ego dico vobis (Apostolis:) facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Ibid. v. 9.*

11. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est; quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis: quod verum est, quis dabit vobis? *Ibid. v. 10. & seq.*

12. Nemo potest duobus dominis servire: non potestis Deo servire, & mammonæ. *Ibid. v. 13.*

En Christus admonet Discipulos suos, ut de mammona iniquitatis cederent favore filiorum hujus sæculi, eosque per id facerent sibi amicos & receptores, quia altioris substantiæ Discipuli signati sunt villici, quàm villicus est mammonæ iniquitatis, quod ab

indu-

industria & prudentia sæcularium instabiliter pendet, & quæritur? Est verò tale mammon in servis radix infidelitatis.

13. Et ingressus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse dives: & quærebat videre Jesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia staturâ pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum. *Luc. 19. 1*

14. Et suspiciens Jesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. *Ibid. v. 5. & seq.*

15. Et cum viderent omnes, murmurabant: quòd ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid. v. 7. & seq.*

16. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat. *Ibid. v. 9. & seq.*

En exemplum pro Ecclesia docente & utente, quid sibi spiritualiter & temporaliter ad invicem debeant pro salute! Christus domui peccatrici benedicit voluntariè: & Zachæus domestica sua sacrificat Christo voluntariè, velut pretium peccatorum! Sed causa voluntarii, est necessitas remissionis peccatorum, & salutis.

17. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. *Matth. 6. v. 7. & seq.*

18. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, &c. *Ibid. v. 9. & seq.*

19. Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? *Matth. 7. 7. & seq.*

20. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ. *Ibid. 12.*

21. Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inveniunt eam! *Ibid.* 13. & *ſeq.*

22. Et circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. *Matth.* 9. 35.

23. Videns autem turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & jacentes ſicut oves non habentes paſtorem. *Ibid.* 36.

24. Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſsis, ut mittat operarios ſuos in meſſem ſuam. *Ibid. v.* 37. & *ſeq.*

En Eccleſia Docens Operarii nomine, Utens verò Eccleſia Meſſis nomine à Chriſto vocantur. Et quomodo operarius ſine poteſtatis exercitio in meſsem turbarum: aut meſſis turbarum, quomodo ſine obedientiæ exercitio in operarios, legem regni Chriſti portabunt, adimplebunt?

25. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos. *Matth.* 7. 15.

26. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Ibid.* 16. & *ſeq.*

27. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. *Ibid. v.* 20. & *ſeq.*

En pro Eccleſia Docente officium cognoſcendi ex fructibus omnes alios falſos & malos doctores, & omnibus modis impediendi: quin ſeminent malos doctrinæ fructus, & decipiant falſo verbô aut exemplô Eccleſiam utentem!

CAPUT VIII.

Lex & Disciplina Christi ad reformationem omnium Gentium in Spiritualibus & Civilibus proponitur.

§ I.

In abnegatione sui, & terrenorum.

1. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum DEI ſicut puer, non intrabit in illud. *Luc. 18. 17.*

2. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? Dixit autem ei Jeſus: Mandata noſti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum & matrem. *Ib. v. 18.*

En principem Chriſtus ut puerum docet, & interrogat: *Mandata noſti?* idque de iis, quæ ex Lege ſcripta ſunt, & maximè principes civiliaque pacis reſpiciunt!

3. Quia ait: (princeps) Hæc omnia cuſtodivi à juventute mea. Quo audito Jeſus, ait ei: Adhuc unum tibi deeſt: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me. *Ibid. v. 21. & ſeq.*

4. His ille auditîs, contriſtatus eſt: quia dives erat valde. Videns autem Jeſus illum triſtem, dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum DEI intrabunt. Facilius eſt enim camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum DEI. *Ibid. v. 23.*

En Chriſtus principem vocat ad regnum Eccleſiæ ſuæ in abrenuntiatione terrenorum: & quia ob amorem horum fugiunt regnum & regimen DEI divites terræ, ſatis palam declaravit. Ubi tamen unus princeps reformationem Chriſti non recepit: mox alter princeps publicanorum Zachæus, eandem pro ſe in domo ſua recepit, ut ſupra dictum eſt. *Luc. 19. 5.*

5. Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. *Luc. c. 6. 24. & ſeq.*

En rigor in divites cives, qui fugiunt reformari in lege Chriſti!

6. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. *Math. 16. 26. & seq.*

En operari extra legem & disciplinam Christi in lucro mundano, & temporali, est operari in animæ suæ detrimentum!

§ II.

Lex redargutionis incredularum & impœnitentium Civitatum.

1. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Math 7. 19.*

2. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. *Ibid. v. 24. & seq.*

3. Cùm consummâsset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi. *Ibid. v. 28. & seq.*

4. Tunc cœpit exprobrare civitatibus: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quàm vobis. *Math. 11. 21.*

5. Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, Fortè mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quàm tibi. *Ibid. v. 23. & seq.*

6. „ Apostolos verò præmonuit de simili progressu: „ In quamcunque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas, dicite: Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum DEI. *Luc. 10. v. 10. & seq.*

7. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quàm illi civitati. *Ibid. 12.*

8. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt: Signum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi iſti. *Luc. 11. 29. & ſeq.*

9. Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plùs quàm Salomon hic. *Ibid. v. 31. & ſeq.*

10. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plùs quàm Jonas hic. *Ibid.*

11. Et dixit dives: Deſtruam horrea mea, & majora faciam. Stulte, hac nocte animam tuam repetent: quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives. *Luc. 18. 6.*

12. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? *Joan. 5. 44.*

En exprobrationes Chriſti ad civitates, & naturaliſtas, in diſciplina indignationis & anathematis æterni!

§ III.

Lex reformatoria in abuſu Legis veteris revelatæ.

1. Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: quia Ego dixi, dii eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo DEI factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphemas: quia dixi, Filius DEI ſum? *Joan. c. 10. 34.*

2. Cum intraret Jeſus in domum cujuſdam principis Phariſæorum Sabbatô manducare panem, & ipſi obſervabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperitos, & Phariſæos: Si licet Sabbatô curare? *Luc. 14. 1.*

3. At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit. Et ad illos dixit: Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. *Ibid. v. 4. & ſeq.*

En cura civis infirmi, præferenda eſt feſtivitati!

4. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm invitatus fueris ad nuptias, non difcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te fit invitatus ab illo. *Ibid. v. 7. & feq.*

5. Et veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore noviffimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in noviffimo loco: ut, cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, afcende fuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram fimul difcumbentibus. Quia omnis qui fe exaltat, humiliabitur: & qui fe humiliat, exaltabitur, *Ibid. v. 9. 11. & feq.*

En regula politici civilis ex revelatione, ad reducendos fuperbos ad virtutem humilitatis, & fubordinationem in focietate!

6. Dicebat autem & ei, qui fe invitaverat: (principi) Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne fortè te & ipfi reinvitent, & fiat tibi retributio. *Ibid. v. 12.*

7. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in refurrectione juftorum. *Ibid. v. 13. & feq.*

En alia regula pro conviviis civilibus ex revelatione!

8. Abiit Jefus per fata fabbatô: Difcipuli autem ejus efurientes cœperunt vellere fpicas, & manducare. Pharifæi autem videntes, dixerunt: Ecce difcipuli tui faciunt, quod non licet facere fabbatîs. *Math. 12. 1. & feq.*

9. At ille dixit eis: Non legiftis quid fecerit David, quando efuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit în domum DEI, & panes Propofitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nifi folis facerdotibus? *Ibid. v. 3. & feq.*

10. Aut non legiftis in lege, quia fabbatîs facerdotes in templo fabbatum violant, & fine crimine funt? Dico autem vobis, quia templô major eft hic, (id eft Chriftus & Apoftolus.) *Ibid. v. 5. & feq.*

11. Si autem fciretis, quid eft: Mifericordiam volo, & non facrificium: nunquam condemnâffetis innocentes. Dominus enim eft Filius hominis etiam fabbati. *Ibid. v. 7. & feq.*

En

En regula neceſſitatis operandi œconomicè in templo & extra templum, ex diſpenſatione Arbitri legis Dominicæ!

12. Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam juſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam: Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter publicanus. *Luc. 18. 9.*

13. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, injuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in ſabbato: decimas do omnium quæ poſſideo. *Ibid v. 11. & ſeq.*

14. Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. *Ibid. v. 13. & ſeq.*

En regula juſtitiæ & juſtificationis coram Deo, in orando, decimando, & operando intra & extra templum!

15. Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & charitatem DEI: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. *Luc. 11. 42.*

16. Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines operibûs, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas. *Ibid. 45. & ſeq.*

17. Væ vobis Legisperitis quia tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, (in regnum Eccleſiæ DEI) & eos, qui introibant, prohibuiſtis. *Ibid. v. 52.*

18. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare & non deficere, dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur. *Luc. c. 18. 1. & ſeq.*

19. Vidua autem erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adverſario meo. Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem revereor: tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſugillet me. *Ibid. v. 3. & ſeq.*

20. Ait autem Dominus: audite quid judex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? *Ibid. v. 6. & seq.*
21. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? *Ibid. v. 8*

En in Civilistas abutentes lege Domini & fide revelata maledictio, ac vindicta!

§ IV.

Lex reformatoria legis reputatæ pro naturali in Civitatibus, quæ tamen vim legis revelatæ habet.

1. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *Matth. 5. v. 21.*

En regula non occidendi ex dicto est & revelato antiquis, non veró ex ratione hominum naturali introducta. En simul & prohibitio iræ tanquam causæ occidendi, sub simili animadversione judicii!

2. Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Ibid. v. 27.*
3. Audistis quia dictum est antiquis: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: Et ei, qui vult tecum judició contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. *Ibid. v. 38. & 40.*
4. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. *Ibid. v. 43.*
5. Si enim diligitis eos, qui diligunt vos, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? (id est naturalistæ jure animalico.) *Ibid. 46.*
6. Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? (id est naturalistæ ratione animalica) *Ibid.*
7. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit

super

super bonos & malos: & pluit super justos & injustos. *Ibid.*

8. Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere; quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. (id est naturalistæ.) *Luc. c. 6. 34. & seq.*

9. Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes. (tanquam filii revelationis.) *Ibid. 35.*

10. Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensurâ, qua mensi fueritis, remetietur vobis. *Ibid. 38.*

En præcepta, quæ dicuntur naturalia & substantialia, reformantur & elevantur ad perfectionem Christianam!

11. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. *Luc. 11. 34. & seq.*

12. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Luc. 6. 45.*

13. Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis, quæ dico? *Ibid. 46.*

En lex exprobratoria vitiorum naturæ, in lumine oculorum, & duplicitate cordis! Et quomodo hæc rationem humanam illuminare, & in recto ponere absque revelatione legis in civitate possunt?

Observatio.

Hæc & alia mandata Reparator naturæ humanæ Rex Christus porrexit Apostolis, jussitque docere omnes Gentium Civitates: *Docete omnes Gentes quæcumque mandavi vobis.* Math. ult. Ut quid autem Naturalistæ de suo lumine rationis, tanquam de sole diei præsumunt, legislatoremque rectum apud se pro civilibus existimant, eandemque rationem suam non cecidisse sub legem revelationis in temporalibus & moribus civitatum: sicut & Rieggerius *P. 1. c. 3.* jactavit, jactant? Ait ille: *Ne putemus Religionem revelatam felicitati hominum temporali ulla in parte derogare, aut in moribus meris quidquam in sacris Literis decretum esse, quàm id, quod jam recta ratio fieri jubet,*

aut

aut prohibet. Religio enim revelata pro fine habet hominum æternam felicitatem, quæ temporali nullo modo repugnare poteſt.

Viderint tamen illi ex prænumeratis ſupra formulis legum ad civitates extenſis per Chriſtum, quòd plurima in ſacris Literis decreta ſunt, quæ ab initio recta ratio ignoravit, nec facere juſſit, nec prohibuit. Imò quæ contrarium juſſit, & contrarium prohibuit, ſub præſumptione ſua, ac ſi rectè coram Deo etiam in ſocietate civili ageret ſine Deo imperante.

Sed hæc rectitudo prætenſa rationis quantùm fuit cœca in agendis, & meris moralibus, adhuc patebit: ſi ad Tertiam Partem hujus Operis de Regno Chriſti, ſimplici & puerili corde atque oculo, præciſâ invidiâ, in Domino attendemus.

PARS TERTIA

De Regno Christi, & Officio Principis.

Prophasis.

De principiis Vitæ Civilis Noachitarum.

Quomodo, & qualibus legibûs ſtabilitum eſt Regnum Chriſti, in ſua ſocietate Eccleſiaſtica docente & militante in terris; jam ſatis luculenter quò ad omnem formam Religionis & diſciplinæ morum, ſuperiori Parte ſecunda authenticis DEI Teſtimoniîs propter Naturaliſtas deduximus & probavimus. Naturaliſtæ verò quomodo & qualiter regnum naturæ pro Principibus terrenis in civitate fundare & ſtabilire ſuper lege rectæ rationis intendant, nullum DEI naturæque originale juriſdatium ac privilegium ob oculos Majeſtatum ponunt, præter ſola & abſtracta à veritate ratiocinia; ut poteſtatem domeſticam & civilem independentem a poteſtate Legis cœleſtis revelatæ, arbitrio indefinito Dominantium terræ prorſus relinquant, & devoveant.

Quia veró per umbras arboris decipi in ſubſtantia arboris, imaginarium eſt & erroneum, niſi anathomicè & phyſicè ipſa arbor tangatur & exploretur: Idcirco ubi ſceptrum regnandi creviſse per ſolam rationem humanam non deducitur ex aliquo Adæ vel Noë

Codi-

Codice positivo per naturalistas; ibi necessarium est, ut ex Revelantistis & Codicibus sacris origo ejusdem sceptri perquiratur & attingatur.

Itaque Codex sacer antiquissimus & revelatus, sit jurium nostrorum etiam civilium fidelis ex Deo pro Principibus testis, relator, & præceptor. Quia inter postdiluvianos Noachitas Sem, Cham, & Japheth germanos fratres, Nemrodus secundogeniti Chami nepos fuerat maximus civilitatis aggregator. *Gen. 10. 8. & seq.*

Quis autem Principum non credet Codici sacro, præ omnibus Libris profano-historicis? Equidem Rex & Redemptor mundi Christus, soli & unico huic veteri Codici de origine mundi & hominum, de Diluvio, de Ninivitis, Sodomitis, atque de generationibus Patriarcharum, credidit, adhæsit, ex illo docuit, authoritatemque veritatis eidem soli Historiæ Sacro - Moysaicæ sua doctrinâ ad omnes Gentes attribuit.

Quando enim interrogatus fuit *Matth. 19. v. 3. & seq.* in Evangelio: *Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa?* Remisit interrogantes ad lectionem hujus Codicis, & respondens ait eis: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.*

Qui ergo non sequitur Historicam sacram veterem in civitate cum Christo, ille nec veritatem doctrinæ Christi sequitur. Quid autem Historia sacra de generationibus Noachiticis principum dicit? Inspiciamus de filio potissimùm Chami primogenito Chus: *Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale.* Gen. 10. v. 8. & seq.

Jam itaque patet inter germanos fratres Noachitas Sem, Cham, & Japheth: familiam Chamiticam cœpisse robur & potentiam suam in terra Sennaar civiliter extendere, tum in suo Nemrodo robusto

 vena-

venatore coram Domino, tum in Affur, qui fuit Monarchiæ Afsyricæ ab Afsur dictæ plantator, & in civitatibus Babylon ac Ninive capitalibus propagator.

Sed quare non Sem primogenitus Noë, non Japheth, filii benedicti à Patriarcha Noë, fed Cham ab eodem Patriarcha maledictus fuccrevit in robore & potentia civili fuper terram? illius videlicet familia, cui tanquam derifori patris dictum fuit: *Maledictus Chanaan, fervus fervorum erit fratribus fuis*. Gen. 9. 25. quare, inquam, principium regni terreni in Babylone excitavit?

Non caret defactò hæc res myfteriò DEI, non caret & invidia, atque æmulatione familiarum fraternarum. Cham quippe, five Chanaan ficut fuit derifor patris, ita fuit & derifor benedictionum fraternarum atque æmulator invidiofus: Ne juxta effatum Patris Noë, ille fubjicertur in fervum primogenito Sem, aut tertio genito Japheth, ftuduit de induftria exercere familiam fuum in arte venatica & in armis ferarum folertiùs, ut hæc fubjectionem ex maledicto paterno prænuntiatam fciret a fe excutere, & indepedenter dominari.

Unde hæc ftirps Chananæa in campo *terræ Sennaar* primam fuperbiæ civitatem & turrim Babel pro regno Babylon, antequam dividerentur familiæ Noachiticæ in terras, cœpit viritim ædificare, refiftente altiffimo Divifore, *Gen. c.* 11. 2. *& feq*. Hæc ipfa ftirps poft confufionem linguarum pœnalem ab Altiffimo, poftquam aliæ ftirpes benedictæ difceffifsent ad occupandas terras & regiones incultas, non receffit a cultiore campo terræ Sennaar, fixitque dominium ac fedem in confufa illa civitate Babylon; necnon in labore communi primogenituræ Semiticæ fortem pro fua fecundogenitura elegit, atque fucceffivè in Nemrodo & Afsur, fuo fceptro Afsyrico fraternas ftirpes & poffeffiones tributarias fibi monarchicè fecit: ficut legenti Hiftoriam facram, & recolligenti antiquitates fatis conftat.

Quoniam fi Patriarchæ Noë fententia in filios data contempletur, Gen. 9. 26. & feq. *Benedictus Dominus Deus Sem, fit Chanaan fervus ejus. Dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem, fitque Chanaan fervus ejus*: Nonne patria poteftas Noëmi ordinavit in

Semo

Semo filio primogenito poteſtatem tabernaculorum, ut in his cohabitaret filius minor Japheth : Chanaan autem illis ex voluntate patris adhæreret ut ſervus ? Jam ergo Chanaan in ſceptrum patriæ poteſtatis civilia ſua in Nemrodo & Aſsur ſupra benedictos fratres erexit, imò eos eorumque familias in Monarchia Aſſyrica ad idolatriam ſuam & ſubjectionem ſocialem pertraxit, ut ſuo unico imperio, poſtpoſitis DEI & naturæ juribûs, parerent.

Et quomodo hodie jus naturæ, aut Gentium, introductum fuiſse ex ratione recta & juſtitia naturali allegari apud Naturaliſtas, aut contra Teſtimonia Scripturarum legaliter ſuſtineri & credi poteſt pro Principibus ?

Ideoque non miremur, ſi ſupremus Imperator cœli & terræ, rejectis toties juribûs humanis, translatisque pluries Monarhiîs terræ, ad electionem novam Gentis unius ex ſanguine Semitico profectitiæ, ſcilicet Hebraicæ, acceſserit in terra Ur Chaldæorum, & in Regno Ægypti Chamitis dedito; ut jura fidelia primogeniti Sem, per capita filiorum ejus, Arphaxad, Sale, Heber, uſque ad Thare genitorem Abrahæ, & uſque ad Jacob Patriarcham peregrinum, propter Chriſtum tueretur, propter ſervitium ſuum & benedictionem cæterarum Gentium eadem jura ſecerneret, & leges imperii ſui, cum promiſſione reſtitutionis illius terræ Chanaan, in eandem Gentem electam, uſque ad Ducem venturum Chriſtum poſitivè ac in ſcriptis Teſtamenti fidelibus transferret, atque mirabiliter fundaret in montibus Sion Civitatem *Jeruſalem, Caput Gentium.*

Quid igitur adverſùs hæc principia rerum civilium naturaliſtæ opponent ? Aut enim in regnis multiplicatis terrarum illa primitiva ratio regnandi, videlicet Noachitica, Nemrodica, Aſſyrica, & Chananæa uſque nunc durat, aut evanuit? Si durat: certè pro recta defendi nequit, quia ex fonte & principio obliquo ſecundogenituræ Chamiticæ profluxit, juſque ſuum non inſitum à natura, ſed quæſitum ab induſtria, ſoliſque armîs extenſum non obſtante patria poteſtate in Noë, & jure primogeniti Sem ad Gentes porrexit. Si autem non durat, ſed evanuit cum extincto Monarchico Aſſyriorum, Perſarum, Medorum, Græcorum, Romanorumque ſtatu ac regimine? Jam hujusmodi ratio regnandi, & jus naturæ in principibus,

funda-

fundamentum justitiæ naturalis ex natura non obtinet, sed vel ex jure belli caduco, vel ex jure connubiorum devolutivo repetendum est. Quod quidem fundamentum mutabile & instabile est; quia non à communi & uniformi ratione naturæ, sed ab individuali personarum sorte & arbitrio pendet. Patria enim potestas ex natura est communis & æqualis: primogenituræ potestas est communis & æqualis; potestas verò regnandi non est communis, nec æqualis in Gentibus: quia non est communis, & æqualis in ratione vitæ, morum, & legum; ideoque veram speciem & rationem unius naturæ, neque aliquando præferebat in se, neque hodie præferre conspicitur in principibus: quoniam neque est patriæ potestati, neque primogenitu- rali potestati par & conformis.

Et hæc confusio Nationum sicut in diversitate linguarum pœnalis habetur: ita & in diversitate rationis dominandi pœnalis obtinetur; donec Gentes resipuerint, ac sese uni Deo, unique Legi cœlesti revelatæ submiserint, in uno Legislatore & Redemptore Christo Jesu, tanquam in Primogenito omnis creaturæ.

CAPUT I.

De Civitate Principum Sede.

§ I.

De origine Civitatum materiali.

Si Literæ sacræ apud Naturalistas non habent fidem primariam de exordio & progressu Civitatum, jam Literæ profanæ Historicorum ea de re nec postremam merebuntur fidem in Civitate; quia solus Deus, sicut fuit Institutor mundi, & Author societatis domesticæ: ita fuit Civitatum Instructor, Destructor, & Conservator in Possessionibus terræ, quas generi humano tradiderat excolendas.

Ait autem Historia sacra: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibûs terræ, & universis volatilibûs cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Gen. cap. 2. v. 15. & 19.

Para-

Paradiſus ergo fuit prima norma domus, & ſocietatis terrenæ ex ordinatione DEI non naturæ; ſocietas autem animalium, & volucrum, fuit prima ſchola revelationis, quomodo genus humanum in naturalibus procederet, nidificaret, & aſsociaretur.

Exiliô autem Adæ ſubſecutô de paradiſo, poſtquam primogenitus Cain ob fratricidium Abelis pulſus fuiſset de tabernaculis paternis Adæ, primus exſtitit in exilio ſuo ædificator civitatis pro ſua prole ſeparata; ut Literæ ſacræ atteſtantur Gen. c. 4. 16. *Egreſsuſque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra: & ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui, Henoch*. Civitas nihilominus illa Henoch dicta, ſolius profugæ familiæ Cain ſedes erat, neque familia Adæ & Abel reliqua conjunxerat ſe Caininæ domui peccatô fratricidii contaminatæ; quia hæc ſtudioſior Religionis Divinæ in tabernaculis ſuis manſerat. *Poſuitque Deus Adæ aliud ſemen pro Abel* occiſo, filium Seth anno mundi 130. ante Chriſtum 3874. qui Seth genuit Enos, & hic *Enos cœpit invocare Nomen Domini*. *Gen. 4. v. 25. & ſeq.* & ſub dio ſacrificare ac immolare.

Igitur origo materialis Civitatum profugii & refugii principium accepit ex Cain primogenito fratricida, qui metuebat in terra, ne reus ultionis ab aliquo occideretur. Hic autem quæramus: Et ubinam conſenſus liber fuit pro hac primordiali Civitate? Cainitæ enim profugi eam ſeparatim à conſenſu Adæ, à conſenſu Seth, pro ſeipſis inſtituerunt; abnepotes verò Caini ex Lamech orti, videlicet Jabel, Jubal, & Tubalcain, artibus mæchanicis longè pòſt inſtruxerunt.

Equidem juxta teſtimonium Scripturæ, „*Jabel* dictus eſt *pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum: Jubal* dictus eſt *pater canentium citharâ & organô: Tubalcain* verò *fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri*. „ *Gen. c. 4. v. 20. & ſeq.* „ Atque hi primi fuerunt inventores & rectores artium civilium in ſocietate profuga; familia autem Adamitica fidelior Deo, filiorum DEI & cultorum Religionis, ſive ſociorum Eccleſiæ juſtorum nomen in fide & ſpe Chriſti diſtinctivum portabat, Civiliaque ſua ut ſubordinata legi cœleſti exercebat.

Et

Et non tantùm exercebat, aſt in eadem lege Domini revelata regimen & diſciplinam ad ipſos ſeparatos Cainitas, jurique & religioni naturali erronneè deditos propagabat, uſque ad commixtionem Filiorum DEI cum filiabus hominum, *Gen. c. 6 v. 1. & ſeq:* ex quibus gygantes viri ſamoſi eruperunt in terra, & uſque ad revelatam perditionem omnis creaturæ in aquis diluvii, propter juſtum unicum Noë, qui unicus civis & unicus ſacerdos relictus eſt in revelata ſibi ſalutari civitate arcæ.

Arca igitur Noë ex legislatione & inſtructione DEI, juxta omne artificium, & ædificationem revelatam, facta eſt, atque relicta unica civitas pro forma & exemplari habitaculorum terra marique propter ſocietates terrenas conſtruendorum; ut nihil deinceps poteſtati naturali deberetur & adſtrueretur, præter laborem & cooperationem humanam, in ſacris & civilibus: omnia verò deberentur & adſtruerentur ſoli poteſtatì revelatæ, & juribus DEI, à temporibus Noëmi in novo fœdere cœleſti reſtitutis: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.* „ *Gen. 9. v. 13.* „ Quæ ergo Civilia ex novo fœdere DEI cum hominibus reſtituta ſunt in Literis revelatis: & quomodo poteſtati juris naturæ, ſpreto fœdere DEI cum Noachitis, attribuentur? Nonne per id Principes Chriſtiani ad claſsem profugorum Cainitarum remittentur? Quod nec decet, nec convenit.

§ II.

De Civitate formali & ſancta poſt Diluvium.

Quali lege & forma ſocietas antediluviana intra domos arcæ fuit locata à DEO, talem formam & legem eadem ſocietas humana attulit ſecum poſt diluvium in terram: atqui ſocietas illa ſpiritualiter & civiliter locata fuit à DEO in domibus arcæ ſub lege DEI revelata, & ſub fœdere Altiſſimi expreſso, & non relicta eſt ſolis viribus naturæ; Ergo ad talem legem & formam Principes ſpirituales & civiles principaliter & neceſsariò attendere tenentur ex patribus, atque ad illam remitti & coformari in regimine debent.

Sicut autem in domibus arcæ Deus conſtituit ſocietatem juſto-

rum

rum unam, & civitatem falutis temporalis unam: ita voluit in cognatione una, & in lingua una, & in lege una, ut ex his orbis multiplicandus, fieret totus Civitas in fubftantialibus una, & fraternitas una; quoniam hanc formalitatem & fanctionem exigit à natura rationali, tam unitas fpeciei humanæ, & imago DEI communis una, quàm unitas generationis phyficæ, & fanguinis communitas una, adeò, ut non obftante accidentali exdivifione in capita familiarum, & in ftirpes civitatum: genus totum humanum fub una ratione legis & juftitiæ DEI, uniformiter patriset, matrifet, convivatque velut una Civitas fancta.

Sub una quippe benedictione, & fub una communi lege, tradidit DEUS Noachitis poteftatem in terrena novam, quam jus humanum naturæ non tradidit. *Benedixitque DEUS Noë & filiis ejus. Et dixit ad eos: Crefcite, & multiplicamini, & replete terram. Et terror vefter ac tremor fit fuper cuncta animalia terræ, & fuper omnes volucres cœli, cum univerfis quæ moventur fuper terram: omnes pifces maris manui veftræ traditi funt. Et omne, quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quafi olera virentia tradidi vobis omnia; Exceptô, quòd carnem cum fanguine non comedetis.* Gen. cap. 9. 1. & feq. *Quicumque effuderit humanum fanguinem, fundetur fanguis illius: ad imaginem quippe DEI factus eft homo. Ecce ego ftatuam pactum meum vobiscum, & cum femine veftro poft vos.* Ibid. v. 6. & 9. Ubi autem focietas prima civilis in verbo DEI exprefso, & in pactione revelata formalifatur & ftabilitur, velut communitas una, & civitas terræ una: & quomodo officia Principum civilia à jure naturali, & non a jure revelato, fundamentum fuum ducunt, dicuntque habere? Quomodo poftpofitis Pactis Altifsimi cum falvato genere humano ftipulatis, & ulteriùs ftipulandis, civitatem fibi in arbitraria ratione humana fundare, & rectè formalifare potuerunt aliquando, vel pofsunt?

Ubi etenim, (ficut præfatione fuperiore immediatè deduximus) primogeniti Gentium ex Chamo & Chanaan Noachita prognati, velut capita familiarum gentilium, hanc rationem focietatis & formam unitatis in genere humano civili non confervârunt? Omnia utique vident Principes, quomodo hæc, quæ ex

U DEO

DEO imperante & condicente derivata acceptaque ſunt ad regimen temporale, converſa ſunt ac immutata in leges vagas, caſuales, & independentes; uniformitas autem ſocietatum civilium, a ſanctionibus DEI recedens deſiit eſse ſancta, & deperiit.

Enimvero DEUS circa traditionem terrenorum paciſcens cum ſocietate juſta Noëmi, poſtquam cavit promiſsionem in verbis: *Ecce ego faciam pactum vobiscum, & cum ſemino vestro post vos:* ,, *Gen: cap. 9. v. 9.* ,, Nonne hoc pactum afficiebat, & usque nunc afficit omne ſemen humanum: ut expectâſsent omnes Gentes manifeſtationem talis pacti in ſuis civitatibus, nec ſe in difformia jura religionis & regiminis ſtatuenda convertiſsent? Multò magis, quando DEUS pactorum ſuorum leges in ſemine Abrahamitico & Hebraïco portentoſè manifeſtavit, & porrexit Tabulas Teſtamenti ſui, intra regna terrena, per Moyſen & Aaron, eaque in Civitate electa Hieruſalem per annos quadringentos promulgari ad juſtitiam Gentium uniformem fecit: Nonne Gentes ad acceptationem talium pactorum legis ex ſponſione Noachitica accedere, eaque uniformiter ſequi in ratione recti obſtrictæ erant?

Ideoque DEUS Juriſdator terrenorum, videns perfidiam in Gentibus Noachiticis, quòd Pacta & Leges cœleſtes reſpuiſsent: multoties conqueſtus eſt contra jus gentile: *Primò.* Apud Iſaiam *Cap. 24.* dicens: *Luxit, & defluxit terra, & infirmata eſt: defluxit orbis, infirmata eſt altitudo populi terræ. Et terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis: quia transgreſsi ſunt leges, mutaverunt jus, diſsipaverunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram. Secundò.* In ſpecie verò adverſús civitates gentiles fulminat & minatur, incipiens à Cap. 10. Iſaiæ: *Væ qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt. Onus Damaſci.* Cap. 17. *Onus Babylonis.* Cap. 13. *Onus Ægypti* Cap. 19. *Onus deſerti maris.* Cap. 21. *Onus Duma, Onus in Arabia.* Ibid. *Onus Vallis viſionis.* Cap. 22. *Onus Tyri.* Cap. 23. *Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim.* Cap. 28. *Væ Ariel, Ariel civitas* Cap. 29. *Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, ut adderetis peccatum ſuper peccatum.* Cap. 30. *Tertiò.* Habac. C. 2. 12. *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus, & præparat urbem in iniqui-*

tate,

tate. Quartò. Adverſùs Civitatem Jeruſalem Sophon. Cap. 3. 1. *Væ provocatrix, & redempta Civitas, Columba. Non audivit vocem, & non ſuſcepit diſciplinam: in Domino non eſt confiſa, ad Deum ſuum non appropinquavit.*

Hinc ſi Deus exprobravit olim civitatibus & regnis naturæ onera injuſtitiæ & legislationis iniquæ, & conſiliorum independentium à Spiritu DEI, ut nec Civitati ſuæ redemptæ Hieruſalem parceret ob diffidentiam in Domino DEO ſuo. Igitur ſocietas civilis nequaquam formaliſat ſe, aut civitatem ſanctificat à ſua natura, & legibus ſuis condictitiis: niſi ſanctificetur & juſtificetur in ſanctionibus DEI revelatis, & niſi pactis ac fœderibus ab Altiſsimo porrectis, civilia ſua ſubjiciat, eorumque diſciplinæ in Chriſto adhæreat. Quia talibus pactis, talique officio ſancto omnem principem civitatis inſiſtere decet.

§ III.

De Primogenitura & Primogenito Christo.

Primogenitus, aliter dictus princeps domûs, tenet quidem ordinem primatûs ex nativitate, ſed privilegium principandi in domo ex DEO: quia & Adam primus caput generationum factus eſt non ex ſe, ſed ex Creatore. Ideo prima generationis mater Eva poſtquam peperiſset primogenitum Cain, dixit: *Poſsedi hominem per DEUM.* Gen. cap. 4. 1. Et rurſus poſt genituram filii Seth recognovit ibidem: *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Quoniam nec generatio naturalis, nec formatio membrorum civilium evenit abſque Creatore. Quod ſi ſic: & qua rectitudine rationis poteſtas principandi in primogenitis dicetur à natura?

Quia verò primogeniti carnis peccabant in jus DEI: Cain per fratricidium, Eſau per venditionem benedictionis primogenituræ; abjecti propterea iverunt in ſeparationem & in odium cognationum fraternarum, iverunt in lites & bella ſocietatum civilium. Hinc non obſtante victoria fratrum tanquam filiorum Revelationis fidelium ex Deo contra primogenitos lucrata, primogeniti

abjecti fatale principium æmulationis, confusionis legum, & diffidentiæ in civitatibus præbuerunt; prout colligitur ex *Genes. cap.* 27. *& seq.* & *ex Epistola Pauli Apostoli Hebr. cap. 7. per tot.*

Quod si verò ex abjectis primogenitis jus naturæ principandi & bellandi in terra succrevit, imò & falsa religio naturalis superinducta fuit: & qua ratione justa, nostri Principes Christiani officia illorum ethnica imitari suadentur: ut sic similes illis revelatorum DEI contemptores & impugnatores efficiantur?

Ex hoc DEUS contestatus est contra naturalistas fidentes juribus suis, de suo Primogenito Christo apud Prophetas: Isaiæ cap. 66. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Et in Psalmo 88. clamat: *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.*

Ideo porro & in lege Reipublicæ Hebraicæ DEUS reservavit juri suo primogenita omnia filiorum, dicens: Exod. 13. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Item Exod. 22. 29. *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.* Et rursus Numer. 3. 13. *Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in Terra Ægypti.* Id est percussi primogenitos juris naturæ falsos, ut primogeniti mei juris Divini, principarentur soli in populo, juxta Legem scriptam voluntatis meæ. Hoc enim DEUS propter Christum suum præcavit & apud Isaiam cap. 43. 18. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea:* dans rationem v. 27. *Pater tuus peccavit, & interpretes tui prævaricati sunt in me. Et contaminavi principes Sanctos.*

Hac de causa mandata Legis veteris de primogenitis Evangelium *Luc.* 2. 23. repetit circa oblationem Primogeniti Christi in Templo DEI: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur:* quia Virgo sine viro peperit *Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit.* Luc. 2. 6. Ipse verò Christus de Primogenitura sua æterna annuntiavit Judæis: Ego sum *principium, qui & loquor vobis:* Joan: 8. 25. *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Ibid. v. 58.

Quod ergo Officium dignius est pro Principibus nostris primoge-

niturâ gaudentibus? an ſequi principes in jure naturæ contaminatos: an verò ſequi Primogenitum in jure revelato juſtum, qualis eſt Chriſtus DEI Filius? Non ſolùm autem eſt Princeps Eccleſiæ, verùm etiam Princeps Civitatis, & hæres Univerſi Sanctus.

§. IV.

De antiqua vocatione Regum Gentilium ad Legem Civitatis Sanctæ Dei, per Reges David, & Salomonem, antequam Christus nasceretur: ubi & Officia Principum per ſe patent.

Teſtimonia ex Libro Davidico.

Rex Revelata prædicat in Pſalmo 2. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania? ... Ego autem constitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.... Et nunc reges intelligite: erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore. .. Apprehendite diſciplinam.* Alibi vero dicit: *Pax multa diligentibus legem tuam. & non eſt illis ſcandalum. ... Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum: & non confundebar.*

Commendat omnibus Civitatem DEI. *Fluminis impetus lætificat civitatem DEI: Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. DEUS in medio ejus non commovebitur: Venite, & videte opera Domini.* Pſalm 45. *Omnes Gentes plaudite manibûs. Quoniam Rex omnis terræ DEUS. Regnabit DEUS ſuper Gentes: DEUS sedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.* Pſalm. 46. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate DEI noſtri. Latera Aquilonis, civitas Regis magni.* Pſalm.. 47. *Notus in Judæa DEUS: in Israël magnum nomen ejus ... Vovete, & reddite Domino DEO veſtro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera. Terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum.* Pſalm. 75.

Vocat Gentes & per Emiſsarios: *Annuntiate inter Gentes gloriam Domini: quoniam magnus Dominus. Dicite in Gentibus, quia Dominus regna-*

regnavit. Etenim correxit orbem terræ. Pſalm. 93. *Juſtitia, & judicium correctio ſedis ejus.* Pſalm. 96.

Redarguit inſipientes. *Audite hæc omnes Gentes: ſimul in unum dives & pauper. Homo, cùm in honore eſset, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſalm. 48. *DEUS deorum Dominus locutus eſt: & vocavit terram. Congregate illi Sanctos ejus: qui ordinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia.* Pſalm. 49.

Obſervatio.

Nonne hæc teſtimonia Regia certificant naturaliſtas, quomodo principes juris naturæ ante Chriſtum, vocabantur ad legem & diſciplinam revelatam, invitabantur ad agnitionem ipſius regnaturi Chriſti, & ad ſacrificia? Et qua ratione uſus juris naturalis in poſseſsione rectitudinis ſuæ prætenſæ, pacificè apud Majeſtates civiles ſtetit? Nonne ante adventum Chriſti, dum jus naturale pro ſe inſtabat, jus Divinum revelatum contra illud nedum in Sacerdotibus, aſt in Regibus, reclamabat & obſtabat?

Teſtimonia ex Libro Salomonis. Sapien. Cap. 6.

Rex Salomon clamabat ad Gentes ante Chriſtum: *Audite ergo reges, & intelligite, diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos. qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſsimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſsetis miniſtri regni illius, non rectè judicâſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem DEI ambulâſtis.*

Nota. Quid verius & fortius exprobratione hac Salomonica, quæ fuit ante Chriſtum ad Reges Gentium tanquam miniſtros regni DEI prævaricatores, regaliter promulgata?

Ad vos ergo reges ſunt hi ſermonis mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Qui enim cuſtodierint juſta juſtè, juſtificabuntur: & qui didicerint iſta, invenient quid reſpondeant. Ibid. *Filii ſapientiæ, eccleſia juſtorum: & natio illorum obedientia & dilectio.* Eccl. 3. *Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. Pondus & ſtatera judicia Domini*

ſunt:

sunt: & opera ejus omnes lapides sacculi. Prov: 16. 10. & seq *Homo perversus suscitat lites: & verbosus separat principes.* Ibid *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Prov. 21. 1. *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Ibid. v. 27. & 30. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.* Ibid. 31.

Nota. Stante igitur tali doctrina & vocatione regum gentilium ex Salomone Principe revelato, quam per omnes ejus Libros uberiùs videre licet ante Christum: Et quali ratione naturalistæ statum illum Ante-Christianum in Gentibus pro Naturali, justo, & immutabili porrigent ad statum Ecclesiæ, & Regni Christi, sicut Rieggerius prætendit? Aut Regium Officium, quomodo independens à Lege DEI revelata, statuent?

§. V.

De Benedictionibus Gentium ex peregrino Israël promissis.

1. *Ego sum, ait Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me DEUS ante vos in Ægyptum.* Gen: 45. 4. & seq.
2. *Profectusque Israël cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum juramenti, & mactatis ibi victimis DEO patris sui Isaac, audivit eum per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: Jacob, Jacob, cui respondit: Ecce adsum. Ait illi DEUS: Ego sum fortissimus DEUS patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* Gen. 46. 1. & seq.
3. *Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad Regem, & statuit eum coram eo. Et benedicto rege, egressus est foras. Joseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao.* Gen. 47. 7. & seq.
4. *Videns autem Joseph, quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit: & apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse.*

naſse. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater: quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput ejus. Qui renuens, ait: Scio fili mi, ſcio: & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur: ſed frater ejus minor, major erit illo: & ſemen illius creſcet in gentes. Gen. 48. 17. & ſeq.

5. *Vocavit autem Jacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſsimis: Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio. Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculâſti ſtratum ejus. . . Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. NON AUFERETUR ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit Expectatio Gentium.* Gen. 49. v. 1. & ſeq.

Nota. Hæ benedictiones Iſraëliticæ ubi fiebant? Nonne in medio Gentium, in Terra Ægypti: ut & Gentes ſcirent, in quem Dominatorem ſperarent, & cui Duci obedirent, tanquam Capiti Gentium revelato, id eſt Chriſto de Tribu Juda? Hæ benedictiones, erantne ex DEO, ad ſola ſpiritualia, an ſimul & ad terrena Gentium?

CAPUT II.

De Lege & forma veteri creandi Principes, ut miniſtros DEI civiles.

§ I.

1. *Dixit DEUS ad Moyſen: Ego sum qui sum. Ait: ſic dices filiis Iſraël Qui Est, miſit me ad vos. Vade, & congrega ſeniores Iſraël & dices ad eos: DEUS Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, miſit me ad vos.* Exod. c. 3. 14. & ſeq.

2. *Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occurſum Moysi in deſertum. Qui perrexit obviam ei in Montem DEI, & oſculatus eſt eum. Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Domini quibus miſerat eum, & ſigna quæ manda-*

mandaverat. Veneruntque simul, & congregaverunt cunctos seniores filiorum Israël. Exod. c. 4. v. 27. & seq.

Ecce Vocatio Ministrorum vera ex Deo, & simultaneum officium cointelligentiæ, ut eis credatur.

3. *Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac magistri: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*. Numer. c. 11. v. 15. & seq.

Ecce ministerii auxiliaris participatio & concessio nisi per Deum, idque de spiritu primi Ducis accepto, esse debet!

4. *Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum (Moysen) auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cùmque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt*. Ibid. v. 25.

Ecce adunatio ministerii in principibus, ex Capite uno, & ex Spiritu uno!

5. Controvertentibus autem Principibûs Tribuum de præcedentia & subordinatione, dixit Deus ad Moysen: *Accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ: Nomen autem Aaron erit in tribu Levi: ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus*. Numer. c. 17. 2. & seq.

6. *Quas cum posuisset Moyses: sequenti die regressus, invenit germinâsse vigam Aaron in domo Levi. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël: videruntque & receperunt singuli virgas suas*. Ibid. v. 8.

7. *Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, & quiescant querelæ eorum à me, ne moriantur. Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus*. Ibid. v. 10.

Ecce cæremoniale electionis mysterium, ubi Deo, & verbo ejus non credebatur! Ecce simul inter virgas directionis civilis, & spiritualis, pro virga Aaron Levitica, Deus præcedentiam decidit, Custodemque tabernaculi & testimonii Legis assignavit!

§ II.

Mortuo Aaron secuta est creatio Ducis Josue, & Judicum, coram Eleazaro Sacerdote summo.

1. *Dixit Dominus ad Moysen : Tolle Josue filium Nun, in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote : & dabis ei præcepta cunctis videntibûs, & partem gloriæ tuæ. Pro hoc,* (Josue) *si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus* (Eleazari) *egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israël cum eo.* Numer. c. 27. v. 18. & seq.
2. *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas : ut judicent populum justo* judició. *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & decreto* judicis, *morietur homo ille.* Deut. c. 16. & 17.
3. *Dixitque Dominus ad Moysen: Præcipe Josue, & corrobora eum, atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, & dividet eis Terram, quam visurus es.* Deut c. 3 28.
4. *Et ait Moyses ad populum Israël: Audi præcepta & judicia, quæ ego doceo: te ut faciens ea, vivas, & ingrediens possideas Terram.* Deut. 4. 1.
5. *Et observabitis & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens & intelligens, gens magna.* Ibid. v. 6.
6. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Ibid. v. 7. & seq.

Observatio

Quid ergo eximius Rieggerius interpretatur vanè diens : *Leges has Veteris Testamenti Cæremoniales & judiciales, speciali ratione à Domino Deo Synagogæ & Reipublicæ Hebraicæ lataś ad Ecclesiam Christi minimè pertinere? supra P. 1. de Contradictionibus.* Nonne Gens Hebraica cum suis legibus & cæremoniis electa est, & instructa judiciis pro norma cæterarum gentium, quæ fugiebant à vero Deo, & justitia revelata?

Non-

Nonne ut ſupra deductum eſt, Rex David, & Rex Salomon Hebræi, ſpiritu Legis Moyſaicæ imbuti, multas literas ediderant ad reges gentium, ut amplecterentur formam & juſtitiam regni DEI? Alia enim ſpecialis ratio in Deo non erat ad inſtruendum legibûs & cæremoniîs Hæbraicam Rempublicam, quàm ratio ſanctitatis, unitatis, & aggregationis fraternarum nationum!

Ideoque Chriſtus ſi non eſt ſecutus hanc legem & cæremonias, non habebunt rationem extenſionis ſuæ ad Eccleſiam Chriſti? Sed quia ſecutus eſt in Evangelio ſuo, & ad normam earum pro ratione duodecim Tribuum elegit duodecim Judices & Magiſtros verbi DEI Duces: elegit iterum ſeptuaginta viros in Spiritu ſuo, uti regni DEI comminiſtros & adjutores, unique eorum Virgam Paſtoralem, & Claves Tabernaculi Teſtimonii commiſit, videlicet Petro: jam ergo vel in ipſa creatione miniſterii ſui, implevit formam legis veteris pro ſua Eccleſia, eamque principibus Gentium exemplô ſuo intimavit ſequendam. Quoniam ille eſt Dux promiſsus, qui ex Tribu Juda ortus, & normam boni Paſtoris, & normam juſti Regis in ſede Davidica univerſo attulit mundo.

Si autem naturaliſtæ dicunt: principes civiles Gentium non teneri hac lege miniſteriali; ergo eos ſecernunt ab Eccleſia, & à miniſterio Chriſti DEI, ut in gentili claſse contineant.

§ III.

De Lege Miniſterii Regalis antiqua.

1. *Quando ingreſsus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium. Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures & divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Deut. c. 18. 9. & ſeq.
2. *Cum ingreſsus fueris Terram, quàm Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſsederis eam, habitaverisq; in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes.* Deut. c. 17. 14.
3. *Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.* Ibid. 15. & ſeq.

4. *Cumque fuerit constitutus. non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immensa pondera.* Ibid. 16. & seq.

5. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ Tribûs.* Ibid. 18. & seq.

6. *Et habebit secum, legetque illud omnibûs diebûs vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.* Ibid. 19.

7. *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israël.* Ibid. 20.

8. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies:* (id est Christum) *Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exîstam.* Deut 18. 15.

Observatio

En lex constituendi regis juxta placitum DEI, & non juxta morem nationum: juxta electionem revelationis, & non juxta arbitrium populi! En regula simul vitæ & disciplinæ regis, qualem jus naturæ pro officio principum gentilium non præscripsit! Et quid quæso gravaminis vel injustitiæ in hac lege Deus posuit, ut Reges Christiani, quà Ministri DEI ejus disciplinæ non subjicerentur? Nonne hæc Revelatio utriusque felicitatis in Republica, spiritualis & temporalis finem respicit, & ponit pro Regibus? 1.

Idcirco ad extorsivas voces populi hæc lex dum per Samuelem sacerdotem ad effectum deducebatur in constitutione primi Regis 2.
Saul *1. Reg. c. 12. v. 14.* dixit Samuel ad populum: *Si timueritis Dominum, & servieritis ei: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum*: dans rationem 1. Reg. 15. 22. *Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*

Quia ministrare, & regere populum in lege ac disciplina hac; 3.
quæ ex placito DEI est porrecta, est colere Dominum, & regaliter sacrificare illi hostiam laudis, regnare verò in lege naturæ corruptæ

est

eſt colere ſeipſum, & ſacrificare idolo ſuo naturali. Feliciorque princeps ille, cui populus obedit in civitate tanquam electo DEI, & propter Legem DEI expreſsam: quàm ſi obediverit, tanquam electo naturæ inferioris, & propter legem terrenam.

Hinc Rex David poſt Saulem ſecundus, benedicens Deum Redemptorem populi, clamavit ad omnes: Psalm. 102.

Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Israël voluntates ſuas. Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum. Dominus in cælo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes virtutes ejus: miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

CAPUT III

De formalitatibus Regis Chriſti, quas in ſede David Patris ſui regaliter exercuit pro norma Principum.

§ I.

In oſtenſione Naturalium humanoregalium.

1. *Liber generationis Jeſu Chriſti Filii David, Filii Abraham. Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Matth. c. 1.

§ II.

In vocatione Regum per ſtellam Nativitatis ſuæ.

2. *Cùm natus eſset Jeſus in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jeroſolymam, dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum. Math. 2. 1.*

§ III.

In ſuſceptione homagii regalis à Gentibus.

3. *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.* Ibid. v. 11.

§ IV.

§ IV.

In submissione regalium suorum Legibus revelatis.

4. *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer : vocatum est nomen ejus Jesus. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterunt eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Luc. c. 2. 21. & seq.

Tunc venit Jesus à Galilœa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Math. 3. 15.

§ V.

In recognitione non sui sed DEI Regni.

5. *Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilœam prædicans Evangelium regni DEI, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum DEI: pœnitemini, & credite Evangelio.* Marc. 14.

§ VI.

In terrenorum subjectione Regi altissimo.

6. *Quis rex iturus committere bellum adversùs alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse dispipulus* Luc. 14. 31. & seq.

Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? Dixit autem ei Jesus; Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Adhuc unum tibi deest: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. Luc. 18. & seq.

In

§ VII.

In submissione juris, operis, & Ministerii sui regalis Patri Deleganti.

7. *Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. 5. 30, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. alius est, qui testimonium perhibet de me.* v. 31. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* v. 46.

Si quis voluerit voluntatem ejus facere cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est. Joan. 7. 17. & seq. *Dicebant Judæi: Numquid verè cognoverunt principes, quia hic est Christus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David: & de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus?* v. 26. & 42.

Ait Jesus: Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Joan. 14. 10. *Et sermonem quem auditis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris.* v. 24. *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* v. 30. & seq.

§ VIII.

In exhibitione mensæ suæ Regalis, & pœnæ.

8. *Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebat venire. Reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem eorum succendit.* Matth. 22. 2. & seq.

§ IX.

In providentia alimentorum & sanitatis pauperum.

9. *Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Jesus panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Joan. 6. 10. & seq.

Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribûs, & tormentîs comprehensos, & qui dæmonia habebent, & lunaticòs, & paralitycos, & curavit eos: & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Jerosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem. Matth. 4. 24. & seq.

§ X.

In ostensione magnificæ gloriæ in Thabor monte.

10. *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Matth. 16. 28. *Et assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta antem Ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* Matth. 17. 1.

§ XI.

In acceptione Possessionis, sive in humili inauguratione ad sedem Regni Davidici.

Cum Pullo asinæ imparato.

11. *Et cùm appropinquarent Jerosolimæ, misit duos ex discipulis suis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim introëuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite. Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est: & continuò illum dimittet huc. Et duxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum* Mar. 11. 1. & seq.

Cum

Cum apparatu paupere. *Multi autem veſtimenta ſua ſtraverunt in via: alii autem frondes cœdebant de arboribus, & ſternebant in via.* Ib. v. 8.

Cum acclamatione ſancta. *Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant: Hoſanna: Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum Patris noſtri David.* Ibid. v. 9 & ſeq.

Cum publico ad Civitatem & Templum ingreſſu. *Et introivit Jeroſolymam in templum: & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.* Ibid. v. 11.

Cum admiratione & commotione Civitatis. *Et cùm intrâſset Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt JESUS Propheta à Nazareth Galilææ.* Math. 21. 10.

Cum annuntiatione translationis Regni. *Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Ibid. 43.

Obſervatio.

En exempla normalia Chriſti Regis pro officiis Principum Civilium! En præter oſtenſionem gloriæ regni DEI in monte Thabor, apprehenſio Regalium Sedis Davidicæ manſueta, ſed formalis in Chriſto demonſtrata eſt: ut non tantùm quà DEUS, ſed & quà Filius hominis crederetur habere jus imperandi in cœleſtibus, & terrenis.

Sufficit enim pro formalitate reſtituendi & conſtabiliendi regni DEI in Civitate Davidica, quando reclamante incredulorum parte, acclamaverunt fideles populorum turbæ pro Filio David dicentes: *Hoſanna Filio David: Benedictum quod venit regnum Patris noſtri David.* Quoniam Chriſtus Rex cœli & terræ promiſsus, venit in Iſraël deponere potentes de ſede, & exaltare humiles, atque in judicio & juſtitia correctionem facere ſedis ſuæ. *Luc.* 1. 52. Vel ſicut Simeon prophetavit: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Israël; & in ſignum, cui contradicetur.* Luc. 2. 34. Ideo.

CAPUT IV.

De contradictoribus Regi & Regno Christi.

§ I.

Non turbæ dociles, sed principatus omnes contradicebant Christo, ob metum amissionis terrenorum.

1. Dæmones quidem primi occupatores corporalium, ab initio contradicebant exire de corporibus: *Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, JESU Fili DEI? Venisti huc ante tempus torquere nos?* ,, *Matth.* 8. 29. Id est ante passionem & redemptionem.

2. Horum suggestione primus hominum *Herodes rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Et videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem.* ,, *Math.* 2. 1. & 16.,, eò, quòd depositionem suæ potestatis à Christo metuebat, tanquam à Duce ex Bethleem ad regendum populum DEI promisso, & genito.

3. Hinc sustinuit Christus contradictionem ab iis, quibus inerat metus temporalium, ne ab horum possessione exciderent, ob doctrinam Evangelicam: *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut uxorem, aut filios, propter regnum DEI, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.* Luc. 18. 29.

4. Gentes quoque principantes à Judæis commotæ sunt adversùs regnum Christi, sicut ipse prædixit ad suos Discipulos, ibidem v. 31. *Assumpsit autem JESUS duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.*

En causas temporales in contradictoribus Christi! Hæccine justitia naturalis in principibus erat, & officium juris naturæ: ut ministri DEI molirentur in vitam promissi Regis revelati, & repugnarent manifesto regno DEI in Civitate sancta DEI? Sed hæc magis patebunt.

§. II.

§. II.

Omnis Status terrenus ex suo reatu subjici debet Regi Christo; quia omnis status complex fuit mortis Christi.

Omnis status & potestas Judaica.

1. *Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis: Licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Jesus nequitiâ eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ sunt DEI, DEO.* Math. 22. 15 & seq.

2. *Accesserunt ad eum principes sacerdotum, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? Respondens JESUS dixit eis: Interrogabo vos & ego unum sermonem: Baptismus Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? Dixerunt illi: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.* Math. 21. 23. & seq.

3. *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos JESUS, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus Filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum.* Math. 22. 41.

4. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, ut JESUM dolo tenerent, & occiderent.* Math. 26. 3. & 4.

En suspicio dominii temporalis peperit invidiam in Regem Christum: Christus autem ad Dominium cœleste provocabat. Qui a in statu Legis revelatæ, Potestas Regio-Davidica erat de cœlo, non ex hominibus originaria: neque jure naturæ, ast jure Divino possidebatur!

§ III.

Omnis Magistratus traditor Christi ad mortem fuit.

5. *Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fusti-*

fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi. Et manus injecerunt in JESUM, & tenuerunt eum. Math. 26. 47. & seq.

6. *Et ecce unus ex his,* (*Petrus*) *qui erant cum Jesu, exemit gladium suum, & percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam ejus. Tunc ait illi JESUS: Converte gladium tuum in locum suum. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Ibid. 51. & seq.

En solus Petrus Christi vitam tuetur!

7. *Adducunt ergo JESUM à Caipha in prætorium. Exivit ergo Pilatus ad eos* (Præses Cæsareus) *foras, & dixit: Quam accusationem adfertis adversùs hominem hunc? Et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Joan. 18. 28. & seq.

8. *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam.* Ibidem 31.

En naturalista Judex, causam Regis revelati, ad judicium Legis revelatæ in terris Gentium remittit!

§ IV.

Omnis status & potestas gentilis exequebatur causam.

Prætoriana.

9. *Introivit ergo in prætorium Pilatus, & vocavit JESUM, & dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Respondit JESUS: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Regnum meum non est de hoc mundo.* Ibid. 33. & seq.

10. *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit JESUS: Tu dicis quia Rex sum ego.* Ibid.

11. *Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum: & dabant ei alapas.* Joan. 19. 1. & seq.

En causa Regis Judæorum coram civili & militari statu judicabatur ex jure naturæ, & jus naturæ hostis fuit DEI, quia Judæi revelabant de se: *Nobis non licet interficere quemquam!*

§ V.

§. V.

Tunc uterque status Judaicus & Gentilis operatus est mortem.

12. *Exivit ergo Pilatus foras, & dicit:* (de JESU coronato) *Ecce homo! At miniſtri* (Judæorum) *clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.* Ibid 5.

En rurſus remittitur cauſa ad judicium Judaicum!

13. *Reſponderunt Judæi: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium DEI ſe fecit. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Ibid. v. 7. & ſeq.

14. *Pilatus autem cùm audiſset hos ſermones, magis timuit. Et ingreſsus eſt in prætorium, adduxit foras JESUM: & ſedit pro tribunali. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem: JESUS Nazarenus, Rex Judæorum.* Ibid. 13. & ſeq.

En judicatum adverſùs Regem, quod non innititur alteri juſtitiæ naturali, quàm metui amiſsionis temporalium, & amicitiæ Cæſaris!

§ VI.

Denique status militaris ultra judicatum proceſsit.

15. *Illudebant autem ei & milites accedentes, & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, ſalvum te fac.* Luc. 23. 36.

16. *Milites ergo cùm crucifixiſsent eum, acceperunt veſtimenta ejus* (*& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem*) *& tunicam.* Joan. 19. 23. & ſeq.

17. *Ad JESUM autem cùm veniſseut, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: ſed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis, & aqua.* Ibid. 33. & 34.

Obſervatio.

En omnis ſtatus & magiſtratus naturalis, Regicidiô, & D

cidiôei-

cidiô eſt contaminatus in terris! Et quomodo poteſtas ejus ſcelere affecta in jure naturæ ſtabit innocens, quin mereatur depoſitionem & translationem à DEO, ſicut jam in ſtatu Judaico effectuatum eſt? *Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Ergone ſceptrum Judaicum cùm ceciderit; ſceptrum gentile, ſeu juris naturæ, cadere non debeat, ob adventum Ducis univerſalis de fœmore Judæ, atque ab complicitatem necis ejus? Nonne hoc prædixit in ſuo Evangelio Chriſtus, Joan: 12. *Nunc eſt judicium mundi: Et ego ſi exaltatus fuero á terra, omnia traham ad me?* Reſurgens verò á mortuis repetiit Matth. ult. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra!*

Poteſtas Chriſti paſsa, & in reſurrectione ejus reſuſcitata, ac reaſsumpta, omnino innocens & viva eſt. Poteſtas verò naturaliſtarum, Chriſticida eſt, & ob crimen æternum, rea ſanguinis & mortua eſt in principibus naturæ; niſi per pœnitentiam, & convivificationem in Chriſto religioſè ſurrexerit, ut legitimè nomine DEI in regno Chriſti exerceri valeat!

Falſum ergo eſt, o! Principes terræ, naturaliſtarum pro vobis dogma, etiam in ipſo Riëggerio dicente: *Quòd Religio Chriſtiana ad poteſtatem civilem acceſsit: & quòd acceſsione tali approbatus eſt in principibus ſtatus antiquus naturæ &c. &c.* Nam ſi approbatione indigebat poteſtas veſtra terrena: igitur defectibilis & reprobabilis erat. Religio & juſtitia naturalis defecit in peccato, defecit in judicio pravo; & ratio naturalis impotens eſt ad ejus reſuſcitationem, atque convivificationem: niſi ex fonte Poteſtatum Chriſto denuo concedatur, & reſtabiliatur, in lege & Eccleſia Chriſti. Aliàs officium Principum naturæ ſicut pollutum, ita & alienum à Regno DEI, & idolicum eſt.

CAPUT V.

CAPUT V.

De Ministerio & Officiis Principum Civilium, quæ ex potestate Regni Christi assumi debent.

§. I.

De Officio Principis victi, ex vi Victoriæ Crucifixi.

1. Auguſtus Cæſar, Orbis univerſi deſcriptor in Nativitate Chriſti, & imperator ex lege naturæ bellica, quæ contra naturam eſt, nemini legis ſuæ poteſtatem & ſucceſsionem reliquit immutabilem: defecit ille, defecerunt Succeſsores ejus in Capite Orbis Civitate Romulea, ex quo tam Chriſto, quàm Miniſtris ejus non acquieſcebant; imò in trucidatione Martyrum Chriſti diu poteſtatem ſanguinariam pro ſe abuſu gladii tutabantur: donec Romana illa poteſtas civilis auferretur, & diſpergeretur; ſicut & poteſtas corrupta Judaica diſperſa manet. Et verificatum eſt effatum Chriſti apud Joannem, dictum ad Apoſtolos: *Nolite timere, ego vici mundum.*

2. Ideo Apoſtolus Gentium in oſtenſionem Victoriæ Chriſti de poteſtatibus mundi, admonet Romanos. Rom. c. 6. v. 6. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati.* Et rurſus c. 14. 9. docet eoſdem: *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Et iterum *Col:* 2. 10. & *ſeq.* de Crucifixo victore ait: *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. Et expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.*

Concluditur Veritas.

3. Poſita igitur tali victoria mundi & poteſtatum ab anno Chriſti 1778. jam poteſtas & officium miniſteriale mundi, ut Victa ſpolia, & triumphata, in ſubjectione Victoris jacent: ipſumque jus naturæ devictum eſt, & ſubſtratum Legibus à DEO revelatis, juxta quas victoria exurrexit in Rege incarnato, & occiſo, & reſur-

reſurgente. Officium ergo primum & ſubſtantiale in omni Principe, tantò ſanctius in Principe Chriſtiano erit: ſe ſentire victum à Rege Chriſto, & ſubjectum Legibus Crucis ejus; miniſterium in populo & mundo devicto non aliunde ſumere, & poſſidere, quám à Lege expreſsa DEI, & à poteſtate Victoris in Eccleſia ſua primò principaliter regnantis: quia jus naturæ non imperativum, ſed obedientiale tantùm, remanſit foris.

Obſervatio.

Hinc non juſtificat, ſed condemnat principes civiles ille Juris-Conſultor naturæ Rieggerius, aliique naturaliſtæ, adferentes ignominioſa gentilium facta ibi: *Exemplum præbent trium primorum ſæculorum Chriſtiani, dum gentiles Imperatores ſupremam poteſtatem obtinerent. Eccleſia quamdiu in hoc ſtatu eſt, nullo fruitur jure communi civium.*

Hoc enim argumentum pro Principibus, accuſat de perſecutione Chriſtianæ Eccleſiæ Principes mundi, quam perſecutionem adverſùs victorem Chriſtum diu continuatam, non jus naturæ, aſt independentia à Deo gubernatore, incredulitas, metuſque amittendi principatûs mundani promovit, & excitavit.

Equidem de Imperatoribus illis, ſignanter Trajano, & Domitiano, teſtatur Heggeſippus apud Euſebium *Lib. 3. Hiſt. Eccleſ.* quomodo illi decreverant ſuum edictum per Civitates Romani Imperii ſui; quatenus in illis *omnes poſteri Davidis Regis Judæ ſtrictè ad necem perquirerentur, atque ab eis explicatio obtineretur: Quale eſset jus aſsertum ſceptri Judæ, an cæleſte, an terreſtre?* Et quatenus tales poſteri Davidici renuntiarent hujuſmodi juri ad conſervationem vitæ ſuæ. Unde ceſsabat quæſtio Prætoriana, ubi à captivis recognoſcebatur: *Regnum Chriſti eſse Angelicum & cæleſte.*

Cæterùm ſicut juſtitia, ita & veritas de cœlo orta eſt; ſicut lumen rationis, ita & imago animæ ortum ſuum de cœlo obtinet. Et quomodo in illis Imperatoribus poteſtas ſceptri, an eſset de terra, rectè á poſteris Davidicis perquirebatur? Errabant illi in virtute juſtitiæ, ac veritatis: errabant & in lumine rationis ac imaginis animæ ſuæ; quando poteſtatem, quæ eſt virtus juſtitiæ

DEI,

DEI, ut terrenam accipiebant: ut verò cœleſtem perſequebantur, & excidebant.

Si itaque ob hanc quæſtionem terrenam & excidium, nullo jure communi civium fruebatur Eccleſia Chriſti: ergo pariter ob eandem criminalem in Chriſtum quæſtionem, communitas civilis, nullo poterat Eccleſiæ jure, & communi Chriſtianorum frui poteſtate; miniſteriumque civile poteſtati diaboli ſubjectum gerebatur: quoniam nolebant juxta legem Chriſti: *Nunc eſt judicium mundi, & princeps hujus mundi ejicietur foras:* acquieſcere, & diabolum de medio ſui ejicere foras, ut ſuſciperent Chriſtum.

§ II.

De miniſterio & officio Principis ex vi Redemptionis.

1. Ex victoria ſuper principe mundi, ſurgit Redemptio mundi, ac ſervitutis peccati liberatio. Idcirco Rex Chriſtus conteſtatus eſt in lege ſua, Matth. 20. 28. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.* Et Joan. 15. 13. ait: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

2. Sicut autem nec corporalia eximebat à ſua poteſtate, dicens: *Omnia tradita ſunt mihi à Patre meo*: ita oravit ante redemptionem pro ſalute omnis carnis, Joan: 17. 1. & ſeq. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te: Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Intendebat enim Chriſtus, ut omne, quod dedit ei & ſubjecit Pater, prodeſset redimendis ad vitam, & reſurrectionem æternam in mundo.

3. Propterea Apoſtolus Gentium docuit: 1. Corint. 6. 13. & ſeq. *Eſca ventri, & venter eſcis: DEUS autem & hunc, & has deſtruet: corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dominus corpori. DEUS verò & Dominum ſuſcitavit: & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam. Neſcitis quoniam corpora veſtra ſunt membra Chriſti? & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretiô magno: Glorificate & portate DEUM in corpore veſtro.*

Eruitur & concluditur veritas.

Posita Redemptione totius mundi, surgere debet societas civilis ut redempta; posita autem civitate redempta, jam potestas civilis resultare debet, & surgere ut redempta; posita demum potestate civitatis redempta, jam Princeps ex redemptis poni debet & eidem potestati præponi ut minister Redemptoris, non naturæ. Quòd verò & potestas redempta sit de manu principis mundi diaboli, non obscurè Rex David prædixit. Psalm. 73. *Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Et Psal. 110. *Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.*

Officium Principis.

1. Planè submitti cum ministerio suo Legibus Redemptionis & Redemptoris Christi, quia erga Redemptorem jus naturæ reparatæ, remansit tantùm obedientiale, & non imperativum desoris.
2. *Non ministrari, sed ministrare* populo redempto in civilibus justitiam nomine Redemptoris, & pacem: quia *Regnum DEI in corporalibus non est esca, vel potus: sed pax, & justitia in Spiritu sancto, ad cives redemptos.* Rom. 14. 17.
3. Disciplinam moralem & civilem juribus Redemptionis pœnitentialibus conformare in ministrando: ne natura civium redempta & reparata denuo corrumpatur, & civitatem profanet ad maledictionem DEI, quæ cecidit super Hierusalem sanctam, Soph. 3. *Væ provocatrix, & redempta civitas, columba. Non audivit vocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad DEUM suum non appropinquavit.*

§ III.

De Officio Principis ex vi Regenerationis in Baptismo Ecclesiæ.

1. Christum DEI, cùm Joannes Baptista arceret a baptismo suo, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* scimus respondisse Joanni: *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Math. 3. 14. & seq.

2. Dixit autem Chriſtus: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro: Amen dico vobis, ego ſum oſtium ovium. Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.* Joan. 10. 1. & ſeq.
3. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Marc. ult.
4. Reſpondit JESUS principi Nicodemo: *Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum DEI.* Joan. 3. 5.

Obſervatio.

1. Quid igitur loci habet, aut quid prodeſt inter redemptos altera religio naturalis Rieggeriana, quæ neſcit regenerare homines ad regnum DEI? Religio illa naturalis facta eſt tantùm obedientialis, Religio autem Chriſti apparuit illi ut dominans & imperativa: quia hæc Paternitatem DEI ſanctam, & affiliationem hominis ſanctam ex Lege DEI in Chriſto importat, illa verò ut terrena ſterilis eſt; quia neminem juſtificat, neminem regenerat, & adoptat in hæreditatem Redemptoris.
2. Religioſus itaque Baptiſmus eſt oſtium primæ gratiæ Redemptionis, quam principi Nicodemo Salvator propoſuit curandam, ſi vellet introire in regnum DEI. Omnes verò, qui ad ovile Chriſti non per oſtium Chriſti, nec per Legem Chriſti, ſed aliunde ex jure naturæ corruptæ, aſcendere voluerint, pro furibus & latronibus declaravit: quia unum ovile Eccleſiæ ſuæ, & unum Paſtorem regenerandorum ſuorum, pro filiis diſperſionis inſtituit.
3. Baptiſmaliter ergo introire in oſtium Chriſti, eſt induere Chriſtum, juxta Apoſtolum Gentium ad Galat. 3. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis:* Ut noviſsimum ſanctumque Adam & Patrem innocentiæ, per ablutionem & abrenuntiationem forinſecam dominii ſathanæ. Non tamen induiſtis ut Regem & Dominum populi redempti: quia hæc poteſtas miniſterii eſt, non regenerationis; imperii Dominici eſt, non verò adoptionis baptiſmalis.

4. Idcirco gratis amplificant naturaliſtæ Poteſtatem Regalem reconciliari per ſolum baptiſmum cum Chriſto. Alius enim eſt character hominis regeniti in fide, & alius Miniſtri DEI ad populum; quoniam & Chriſtus id ſuo exemplô docuit, quando ultra baptiſmum, quem ad omnem juſtitiam adimplendam ſuſcepit, inſuper coronatus regaliter *exaltari à terra voluit, ut omnia ad ſe attraheret*. Joan. 12.

5. Quemadmodum verò in Lege veteri ſola circumciſio filios regis circumciſos non faciebat reges: ita in Lege nova ſolus baptiſmus fidei non efficit Reges populi & Miniſtros DEI, niſi diſtincta vocatio & nova unctio in Spiritu Sancto accedat, & miniſterium conferatur.

Eruitur & concluditur veritas.

Poſita igitur ſocietate civili regenita in Chriſto, ſurgit civitas adoptata in Lege Chriſti, non naturæ: Et poſita adoptione civitatis in Lege Chriſti, reſultat ex ea neceſſitas principatûs Chriſtiani, non gentilis: Et poſito principatu Chriſtiano, exurgit civitas filialis, & regenita, ut membrum Matris Eccleſiæ integrum & ſanctum; exurgit ut pars ovilis ac hæreditatis regni Chriſti privilegiata, ex iis filiis, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt.* Joan. 1. 13. & Ephes. 1.

Officium Principis.

1. Præſidere Civitati ſanctæ, ut primogenitus renatus, & mutatus ex carne in ſpiritum, quia, *qui Spiritu DEI aguntur, ii ſunt filii DEI*, docet Apoſtolus.

2. In regendis corporalibus non amplecti ſapientiam carnis, ſed ſpiritûs juſtitiæ: *Qui enim ſecundùm carnem ſunt:* (naturaliſtæ) *quæ carnis ſunt, ſapiunt. Qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritûs, ſapiunt.* Rom. 8. 5.

3. Vigilare in civitate, ut ſtatus naturæ corruptæ exſit, & non reviviſcat contra ſtatum naturæ in Chriſto reparatæ; hoc enim eſset contra Legem profeſsam, & fidem in regeneratione receptam: ſtatum in ſtatu ponere, & induto novo homine veterem non exuere.

4. Pri-

4. Primogenituram ſuam carnis, ut ſubjectam primogenituræ Spiritûs DEI, & non è contra, reſpicere: ac propterea jus prætenſum naturæ corporalis, Legibus Chriſti revelatis in toto ſubmittere, ac ſubmitti in regenitis civibus facere.

5. Impedire, ne naturalia dona ſupernaturalibus donis in ordine præſtantiæ anteponantur. Nam etſi ſeminatur corpus animale primó, antequam juxta Apoſtolum Gentium ſurgat ſpirituale; Chriſtus tamen decidit, *quòd ſpiritus eſt, qui vivificat: caro autem non prodeſt quidquam*. Et Apoſtolus idem adjecit, eſt *animale ergo, & ſpirituale*, quia ſpiritus eſt, qui animat inertiam carnis.

6. Itaque homo nobilior eſt civis ex creatione ſpiritûs, quàm eſt ex generatione carnis ſuæ: & omnis neceſſitas carnis pendet à neceſſitate ſpiritûs, quia hic omnia movet, regit, & vivificat. Necnon deterior eſt fides civilis, aut ſpes, & charitas animalica, quàm fides, ſpes, & charitas ex dono Spiritus ſancti, quæ principem regenitum implent & extollunt, ut coram Deo reddatur gratus, & capax regalis miniſterii.

§ IV.

De Officio miniſteriali Principis ex vi Unctionis, & primò de neceſſitate ungendi Reges, & inaugurandi.

Neceſſitas ungendi oſtenditur.

1. Deus altiſſimo ritu ſuo quoties Electos ſuos ad miniſtrandum in regno ſuo ſuper terram miſerat, ſpeciali nota & pactione eos ſignare & diſtinguere juxta Scripturas conſueverat. Et ſic, poſt Angelorum ducem Luciferum in luce ſignatum; poſt Adam ducem hominum in ſcientia infuſa ſignatum; poſt electum Noë in arca & arcu fœderis ſignatum; poſt Abraham patrem credentium in pacto, & nota circumciſionis ſignatum. Poſt Moyſen in virga Virtutum, & cornibus pro ducatu populi ſignatum; poſt Aaronem in virga poteſtatis florida ſuper Tribuum virgas ſignatum, & unctum. Poſt Prophetas Spiritu Videntis, & nomine ſignatos: Ipſos tandem Sacerdotes, uti Angelos Exercituum Domini, ac denique Reges Terræ ſanctæ indumentîs & oleô unctionis ſignatos habere decrevit.

2.

2. Hinc Daniel Propheta de Chriſto uncto DEI prædixerat C. 9. *Ut conſummetur prævaricatio , & adducatur juſtitia ſempiterna, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Ipſe autem Chriſtus ex Libro Iſaiæ de ſe pronuntiavit Judæis Luc. c. 4. 18. *Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me.*

3. Et quoniam Chriſtus unctus in Spiritu,unctus per ſanguinem ſuum in corpore , miniſterium redemptionis noſtræ implebat, atque ſe tum ad Moyſis Scripturas, tum ad Regis David filiationem referebat; itaque ſatis exemplô ſuô probavit Miniſteria Eccleſiæ, & Regalia ſub ſigno unctionis in Spiritu & oleo ſancto, Nomine & ritu Altiſſimi debere conferri , ac exerceri .

4. Sub hoc quippe ſigno Unctionis poteſtas Regalis formaliter ex Deo procedit & conceditur, aut in primogenitis ex profana naturæ ad ſacram & ſanctam elevatur : ut principes *mutati in alios viros*, ſic tranſeant ſub immunitatem DEI Legiſque ſanctioris; atque ſic offenſa in eos unctos, ſapiat verum crimen *læſæ Majeſtatis DEI*: ſicut prænotavimus ſupra *P. II. de Lege vocationis ad Miniſterium Regale.*

5. Unde Saul unctus in Regem per manus Samuelis, & ob tranſgreſſionem Legis à Deo abjectus , poſtquam in bello vulneratus , petiit à juvene Amalecita plenè interfici , ac interfectus fuit ; Rex tamen ſignatus David hunc interſectorem involuntarium coram ſe occidi juſſit, dicens : *Quare non timuiſti mittere manum tuam, ut occideres Chriſtum Domini?* 2. Reg. c. 1. per tot: Simulque montibus Gelboë ſanguinariis maledixit , vociferans: *Quia ibi abjectus eſt clypeus fortium , clypeus Saul , quaſi non eſset unctus oleô.*

Ergo Reges ex ritu DEI ſignum Unctionis ſuæ portare , & quærere obſtricti ſunt neceſsariò ex Officio .

§ V.

Ritus & Forma Eccleſiæ ungendi Reges expenditur.

1mò. Diſcutitur Contradictio.

1. Aſserit eximius Rieggerius ſupra P. 1. de Contradict: *Quòd cùm ſolemnitas Inaugurationis Regiæ per ſe non Eccleſiam, ſed Regnum reſpiciat, nec Regi unctio miniſterium quoddam ſacrum tribuat : eam ad actum ordinis verè hierarchicum referri non poſſe .* 2. R.

2. ℟. Posse. Nam Deus ipse ad has restrictiones mentium civilium pro Ecclesia sua pridem respondit, Jerem: cap. 9. v. 6. *Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt me scire.* & v. 23. ibid. ait: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.*

Si Inauguratio Regia non Ecclesiam, sed regnum respicit: Quare Christus in sua humili inauguratione ingressus est civitatem, ingressus est Templum DEI, ut supra *C. III.* §. 2. *huj. Part.* relatum in Evangelio habemus? Quomodo enim vincula regni civilis cum regno Ecclesiæ DEI concatenabuntur, si non in solemnitate unctionis & inaugurationis Regiæ, per Ecclesiam Throni DEI, & Legis Christi portatricem? Nonne sanctius est pro Rege gloriari scire & nosse Deum in sua inauguratione, quàm gloriari in fortitudine & divitiis regni sui mammonici?

Qua immunitate quæso, gaudebant in Gentibus Reges & Imperatores pristini, ac principes juris naturæ? Nonne à militibus eligebantur, & à militibus impunè occidebantur: donec supervenit Religio & Ecclesia Christi? & donec Regnum DEI ad regna terræ appropinquavit?

3. ℟. Ecclesia verò DEI unde didicit formalia inaugurationis & unctionis Regum sanctæ? Nonne ex scientia & præcepto DEI? Dixit ille *Isai.* 55. 3. Et *Actor.* 13. 34. ab Apostolis repetitum est: *Dabo vobis sancta David fidelia.* Quæ autem sunt hæc sancta pro principibus? Psalmus Davidicus 44. docet nos de Christo: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleô lætitiæ præ consortibus tuis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.*

Christus igitur, qui venit implere omnia, quæ de eo in Prophetis scripta sunt, dereliquitne hæc promissa Patris sui David fidelia, quin haberet jus filios sibi renatos constituere principes super omnem terram, & hoc per Ministros Ecclesiæ suæ?

4. ℟. Inter Choros Angelorum alii sunt, ut Cherubim, & Seraphim, qui proclamant ante Thronum DEI incessanter Sanctus, Sanctus

Deus

Deus Sabbacth ; alii ſunt, qui vigilant in terris, ad Thronos, Dominationes, & Poteſtates. Putaſne actum proclamationis Cherubicum ante Thronum DEI, & actum cuſtodiæ Angelicum ad thronos terræ, non referri invicem ad ordinem Hierarchicum Angelorum ex officio miniſterii Divini? Pariter de actu unctionis, & inaugurationis Unctorum Domini intellige.

Quoniam & Rex David in Pſalmis ſuis Sacerdotes propter unctionem ad miniſterium altaris DEI vocat Chriſtos, dicens: *Nolite tangere Chriſtos meos, neque in prophetis meis malignaveritis:* Saulum pariter propter unctionem Regalem, vocat *Chriſtum Domini* in regno terræ, *2. Reg. 1.* Igitur licèt diverſam functionem hi Miniſtri DEI gerunt; propter actum tamen unctionis & inaugurationis ſanctum, correlationem in miniſterio ad ordinem hierarchicum Eccleſiæ Chriſti optimè tenent. Dolus ergo, eggregie Author, hic eſt in te: ut non probata ſolemnitate unctionis Regalis, unionem ſanctam inter Miniſtros Chriſti diſsolvas, independentiam miniſterii ſuſtineas, & gloriam Regum ſuper regno mammonæ ponas. Imò ut cætum principum civilium ſat amplum extra omnem Diœceſim, & extra omnem paſtoratum relinquas!

§ VI.

De ipſo Ritu Benedictionis & Coronationis Regum.

Exponitur forma ſubſtantialis ex Pontificali Romano.

1. Actus & Forma Unctionis.

„ Deus DEI Filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre
„ oleô exultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præ-
„ ſentem ſanctæ unctionis infuſionem, Spiritus Paracleti ſuper
„ caput tuum benedictionem infundat, eamdemque uſque ad interi-
„ ora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc viſibili & tractabili
„ oleô dona inviſibilia percipere, & temporali regnô juſtis mode-
„ rationibûs executo, æternaliter cum eo regnare merearis, qui ſo-
„ lus ſine peccato Rex regum vivit & gloriatur „

2. *Actus*

2. *Actus & Forma Coronationis.*

,, Accipe Coronam Regni, quæ licèt ab indignis, Episcoporum ,, tamen manibus capiti tuo imponitur, In nomine Patris, ✝ & Fi- ,, lii ✝ & Spiritus ✝ Sancti, quam sanctitatis gloriam, & honorem, ,, & opus fortitudinis significare intelligas, & per hanc te partici- ,, pem ministerii nostri non ignores. Ita ut sicut nos in interioribus ,, Pastores Rectoresq; animarum intelligimur: ita & tu in exteri- ,, oribus verus DEI cultor, strenuusque adversùs omnes adversita- ,, tes Ecclesiæ Christi Defensor existas, Régnique tibi à Deo dati ,, & commissi utilis Executor semper appareas. Amen ,,

3. *Actus & Forma Traditionis Sceptri.*

,, Accipe virgam virtutis ac veritatis, diligas justitiam, & odio ,, habeas iniquitatem; quia propterea unxit te Deus tuus, ad exem- ,, plum illius, quem ante sæcula unxerat oleô exultationis præ ,, participibus suis Jesum Christum Dominum nostrum. ,,

4. *Actus & Forma Traditionis Throni.*

,, Sta, & retine amodò locum tibi à Deo delegatum, per autho- ,, ritatem omnipotentis DEI, & per præsentem Traditionem no- ,, stram. Quatenus Mediator DEI & hominum, te mediatorem ,, Cleri & plebis permanere faciat. &c. ,,

Prætereamus reliquam inaugurationis formam in Gentiles non obscurè á Christo signatam pro redeuntibus ad domum DEI Patris, ubi mandavit servis suis Pater miserationis, Luc. 15. *Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.*

Eruitur & clauditur veritas.

Posita sic in Ecclesia Christi Unctione Regali, surgit Unctus Domini in Regem civitatis regenitæ, ac in mediatorem Cleri & populi signatus: posito autem Rege uncto in nomine Domini, surgit ministerium ejus sanctum, in sola Lege Domini sancta, & in solo

Nomine Domini exercendum: poſito demum, & accepto hierarchicè tali miniſteriô ſancto, reſultat in Rege authoritas & Majeſtas Domini ſacra, reſultat porro & exemptio à ſtatu plebis, ac immunitas pro eo hierarchicè ſancta. Ergo jus naturæ civile nil habet, quod tribuat poteſtatis Regi, niſi ſolam obedientiam, ſubordinatam Legi juſtitiæ DEI.

Officium Uncti in Chriſto Regis.

1. Regem ſola unctio docet, quòd ſit Miniſter miſsus à Deo, non à natura ad plebem, ac in Lege Domini ſignatus Executor, quam Legem ab Eccleſia tradendam ſuſcipere tenetur: ſicut & Chriſtus in Synagoga Domicilii ſui Nazaret circa officium unctionis ſuæ inchoatum ad plebem, ſuſcipiebat traditum ſibi Librum Legis DEI Luc. 4. 17. & ſeq. *Et ſurrexit legere. Et traditus eſt illi Liber. Et cùm plicuiſset Librum, reddidit Miniſtro, & ſedit.* Ut verificetur Scriptura de Regibus *Deut. c. 17. 18. & ſeq.* in Regulam porrecta: *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leviticæ Tribus. &c.*

2. Uncti in Domino Regis eſt, miniſtrare juſtitiam civilem in Lege Domini revelata, quæ in Codice veteri ſufficiens à Deo, & normalis tradita eſt pro populo redemptionis, ut ſemper ad dextram voluntatis DEI ſtet in miniſterio, & non ad ſiniſtram voluntatis Gentium declinet: aliàs unctio non proderit ipſi ex alieno jure, & alieno ſpiritu profano, niſi ad maledictionem DEI promerendam. Lex enim à ligando, & Religio à religando dicta ſunt; & qui non vult ligari in Lege Domini, non vult religari in Religione Domini.

3. Fugere in Civitate ſuperfluas naturaliſtarum conceptiones Legis, quæ non ſunt ſecundûm ſpiritum & conſilium DEI. Equidem ſi Civitas pro fundamento Legis civilis Decalogum DEI à Librô Exodo ſuſcepit: Et cur totam ſtructuram Legis revelatæ à Deo, his fundamentis innixam, & extenſam ad Civilia, ſuſcipere refugit: Regeſque & Publicum in novis adinventionibus legum ac diſciplinæ gravat, & confundit: imò Deum irridet, ac ſi pro ſolis Hebræis, & non pro Gentibus fraternis Legislator privativus eſset?

4. Reſpicere ſe unctum, acſi eſset unus princeps ex cognatione Regis David, ad cujus ſancta fidelia in Chriſto acceſſit, & ad ſpiritum fidelitatis ejus ex adoptione & vocatione Chriſti aſsumptus eſt. Sceptrum enim Judæ ablatum eſt ut univerſale, & translatum ad Ducem Chriſtum: ut poteſtatis & fidelitatis Davidicæ communicatio fieret ad Regna fraterna Gentium, atque *Reges gentium ambularent in ſplendore ortûs ſui*. Iſaiæ 60. 3.

5. Inſtituere judices ac judicia, non ut ſua, ſed ut Judicia Domini, quæ non erunt Domini, ſi non tractabuntur juxta Leges Domini altiſſimi. Non vanè enim jus ſuum civile tradidit Deus. Et ſi præcepta judicialia quo ad delicta perſonarum deſiderantur? tradita ſunt in *Exod. c. 21. 22. 23.* Si regula ponderis, menſuræ, ſtateræ juſtæ, juſti modii & æqui ſextarii, ſi emendi & vendendi juſtitia? poſita eſt hæc *Levit. c. 19. & cap. 20. & cap. 25.* Si denique bellorum paciſque conditiones, & Contractuum Civilium pactiones? tenentur hæ in Libris Exodi, Numerorum, & aliorum, quorum brevis repetitio *in Deuteronomio Regali* conſpicitur.

6. Felicitatem Throni, & populi, & ſcholarum, in ſcientia ac meditatione revelatorum Mandatorum, & in cuſtodia eorum ponere: more David dicentis: *Lex Domini immaculata convertens animas: Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Psal. 18. Et: *Deus, qui glorificatur in conſilio Sanctorum, dixit: Inveni David ſervum meum: oleô ſanctô meo unxi eum. Neque profanabo teſtamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar: ſemen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum.* Psal. 88. Et: *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Psal. 93.

Item *Isai. c. 9. 6. & ſeq.* de Chriſto ſemine David: *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium. Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio & juſtitia.* Et c. 60. 12. *Gens enim & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.*

Et in Evangelio Matth. c. 21. 18. *Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & judicium Gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit donec ejiciat ad victoriam judicium, & in nomine ejus Gentes ſperabunt.*

7. Tueri Eccleſiam docentem propter adunationem Gentium, ut mediator & princeps Eccleſiæ utentis in populo.

CAPUT VI.

De mutuis Officiis Miniſtrorum DEI Spiritualium & Civilium.

§ I.

De Officio miniſteriali mutuæ dilectionis.

Rex Chriſtus præter commune præceptum Dilectionis proximi, novum Miniſtris ſuis adjecit Mandatum, Joan: 13. 34. dicens: *Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Quia *ab hoc mandato* non tantùm *univerſa Lex pendet & Prophetæ*: verùm & tota ſubordinatio, atque Miniſterialis correlatio, & cointelligentia, inſtaurata eſt: ut Regnum Chriſti, Regnum pacis & juſtitiæ normale ex Miniſtris condiligentibus cognoſcatur.

Idem Rex, & miniſteriorum in Spiritu ſuo ſancto Diſtributor, praxi ſua demonſtravit, hoc novum Mandatum dilectionis miniſterialis ſpecialiter afficere Miniſtros DEI: quando non aliter Petro Miniſterium ſummi Paſtoratus ſui poſt reſurrectionem detulit, quàm ex pactione amoris reciproci apud Joan. c. ult: *Simon Joannis, diligis me plùs his? Paſce agnos meos.*

An verò hoc novum Mandatum etiam Principes hujus ſæculi obliget, quà unctos Miniſtros DEI: quis negabit? niſi ille, qui Miniſterium Civile, juri naturæ & civitatis, & non juri Divino ac revelato inſiſtere contendit! niſi ille naturaliſta, qui independentiam imperii civilis ab imperio ſacro, & inconnexionem defendit ex abuſu verbi Chriſti: *Regnum meum non eſt de hoc mundo,* qualis eſt Rieggerius antiquiorum ſectator, aut Febronius, vinculolorum amoris miniſterialis in Regno Chriſti, ſeparatores!

Aſt Mandatum Evangelicum codilectionis archifraternalis inter Poteſtates præpoſitas mando, eſtne de hoc vel alio altiore mundo? Si non eſt de hoc mundo: quantò rectiùs mandatum miniſtrandi Deo, & populo in poteſtate DEI, non erit de hoc mundo ob Chriſtum mandantem. *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Si quis diligit me, ſermones meos ſervat.*

De Miniſtris autem & Diſcipulis ſuis Chriſtus pronuntiavit ad Patrem ſuum, dicens: *De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.* Joan. 17. 16. & ſeq.

Eruitur & clauditur veritas.

1mò. Vinculum dilectionis concatenavit Chriſtum in miniſterio cum Patre æterno, & ligavit: Vinculum item ejuſdem dilectionis concatenavit Apoſtolos in miniſterio, cum Chriſto & Patre, & ligavit, ut non eſsent de hoc mundo. Ergo & Principes hujus mundi aſsumptos in miniſterium DEI, idem vinculum mutuæ dilectionis in miniſterio concatenare & ligare debet, cum Miniſtris Apoſtolis, & per Apoſtolos cum Chriſto, & per Chriſtum cum Deo ipſo altiſſimo, ut ceſsarent eſse Miniſtri de hoc mundo: atque ſic ex participatione unctionis, participes poteſtatis: & ex participatione poteſtatis DEI, fierent miniſterialis condilectionis in Regno DEI catena una, & arhifraternitas Chriſti una. Pro hac enim archifraternitate miniſteriali ſpecialiter oraverat Chriſtus Patrem: *Pater juſte, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: & hi cognóverunt, quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Joan. 17. 24. & ſeq.

2do. Poſita veritate Evangelica, quòd mundus Deum non cognovit, & nomen ejus ignoravit: reſultat veritas, quòd miniſtri mundani ex jure naturæ, mandatum DEI ſuper condilectione miniſteriali non noverunt, ſibique adinvicem in officiis ſuis adverſabantur, & ſeparabantur, in præjudicium Altiſſimi, & nationum. Ergo poſita notitiâ novi mandati pro miniſtris mundanis de cœlo: neque in dilectione, neque in cohærentia miniſterii ſui cum Miniſtris

Spiri-

ſpiritualibus, aliquo jure mundano per naturaliſtas ſeparari, & contraponi, niſi mala fide, valent. Equidem & Apoſtolus Gentium indiſtinctim docet: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Hebr. 1. 14.

Officium Principum Mundi.

1. Accedere ad ſocietatem Miniſtrorum Chriſti in ſpiritu & dilectione miniſteriali, & egredi de mundo diſperſi juris, ac de natura diffidentiæ: quia *mundus totus in maligno poſitus eſt*, Epiſt. Joan. 1. 5. 19.

2. Aſsociari miſſis à Deo ipſo Miniſtris, tanquam primæ ſocietati lucis & veritatis: invitante Joanne Apoſtolo, Epiſt 1. 1. 3. & 7. *Quod vidimus & audivimus annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem.*

3. Se Diſcipulum Domini, & Comminiſtrum regni Chriſti cognoſci facere in Civitate, non ex ſola fide dilectionis, aſt & ex opere condilectionis publicæ; Miniſterium Apoſtolicum pro primo principali, Civile verò miniſterium pro ſecundo principali & acceſsorio, juxta vocationem priorem & poſteriorem à Domino ſactam, conferendo & ſubmittendo, in vinculo charitatis DEI reputare. *Quoniam* (ait idem Apoſtolus) *hæc annuntiatio, quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum. Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus juſta.* Epiſt 1. 3. 11. & ſeq.

4. Reprobante Deo facta principum & imperatorum gentilium, ſimiliter reprobare in regimine civili: quoniam illi pro ſuo jure naturæ reſiſtentes Deo, contra jus dilectionis naturalis & Chriſtum morte affecerunt, & ſocietatem Diſcipulorum ejus miniſterialem enecârunt. Qui autem poteſtatem civilem in ſanguine innocenti fundavit, in maligno ſundamento eam, & contra Deum inſtituit, atque retinet, velut alter Cain. Unde Chriſtus Miniſtros ſuos de mundana poteſtate præmonuit: *Si vos mundus odit, ſcitote: quia me priorem odio habuit. Ante Reges, & Præſides ducemini: & morte afficient vos, propter Nomen meum.* Item: *In mundo preſsuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.* Joan. c. 16. 33. & alibi.

5. Ex præmiſſis advertere, quisnam mundi ſtatus à Chriſto accuſatur & reprobatur ut odioſus & malignus: nonne regalis & civilis? Idcirco convinci in veritate, quòd ſtatus miniſterii regalis reprobatus, teneatur pro reconciliatione ſua miniſteriali reſipiſcere, & accedere ad ſtatum Miniſterii Apoſtolici approbatum, & præpoſitum à Chriſto, recedere autem ab opinione Naturaliſtarum falſa, & materiali: ac ſi *Templum eſset in Civitate, & non Civitas in Templo DEI*; vel, ac ſi *ſtatus Eccleſiæ maneret in ſtatu Civili, & non Civilis in ſtatu Eccleſiæ*.

Quoniam non ordo materialis formaliſat poteſtatem miniſterialem DEI, ſed ordo formalis, & vocatio ex Deo formaliſat eam in mundo. Prior enim eſt lex, & præceptum Domini ad Adam: *Ne comedas de ligno ſcientiæ boni & mali, quia morte morieris*; quàm lex exularis Adæ, colendi & regendi terrena. *Gen. 2. 16. & Gen. 3. 17.* Imò præſtantius eſt pactum Domini in arca ſalutis diluviana cum Noachitis, ambulandi in præceptis Altiſſimi: quàm pactum ſociale civitatis, & diſperſionis Babel. *Gen: 7. 1. & ſeq. & Gen: 11. 4. & ſeq.* ut ſupra Part. II. de Pactis DEI demonſtratum eſt.

6. Reprobare Naturaliſtas odiosè impugnantes Regnum DEI in amore reciproco fundatum ſuper terram; quia orbis DEI univerſus cœlô & terrâ clauſus, ipſe eſt templum DEI originale, in quo Deus habitat & regit: Civitates verò intra illud extructæ, membra ſunt acceſsoria & inſtabilia, neque ædes ſacræ abſque conſenſu DEI, ut habitaret in eis, legitimè inſtaurabantur. Sicut Deus locutus eſt ad Regem David,, *2. Reg. c. 7. v. 12.*,, *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus* (Chriſti.) *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in filium*

7. Regna Civilia Gentium reſpicere ut odioſa Deo, & reprobata; quia niſi ut flagellum peccatorum tolerantur, eò quòd à Pactis Adamiticis receſserint ex odio DEI imperantis: & eò quòd vocationem ſuam ad leges & juſtitias Domini antiquas, ante Chriſtum in Regibus prophetantibus Davide, & Salomone contempſerint, imò thronum Davidicum in adventu Chriſti injuſtè & gratis perſequebantur, neque à perſecutione civili hucuſque deſiſtunt: ut officium mini-

ſterii

sterii sui ethnicè ac separatim extra vinculum amoris, & unionis sustineant. Sicut altiùs jam deductum est.

8. Quia ministerium regale in terris, nisi fraternè uniatur electæ Domui Davidicæ in caput Gentium, schismaticum & ethnicum est; quia nec pactum Adamiticum cum Deo stipulatum servat. Quodnam esset illud pactum in regalibus? Humilis Rex David confessus est Deo paciscenti. Quando enim Deus Regi Davidi per Nathan Prophetam annuntiâsset hæc verba promissionis: *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter*: Rex David humiliter respondit, non sibi sed Adæ hanc legem competere: *Quis ego sum Domine, & quæ est domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum,, Ista est enim Lex Adam, Domine Deus.,,* 2. Reg. 7. 16. & 18. Inferiùs autem idem Rex oravit Dominum, dicens: *Custodies me in caput Gentium*. Ibid. 22. 44.

Itaque Ministerium Regale in Gentibus, quoties non adhæret Ministerio Capitis Gentium, & Legibus DEI revelatis non insidet, abscissum est & disunitum à Lege ipsius Adæ: quoniam non conquiescit in Throno novissimi Adæ Regis Christi, & profanum est.

§ II.

De Officio Ministeriali adunationis Gentium naturæ, cum Lege DEI Israëlitica, & Evangelio Regni Christi: ubi & de præcedentia Ministerii in jure dicundo veritas eruitur, ex adoptione filiorum DEI.

Articulus I.

De fundamentis Legis naturæ carnalibus.

Quoniam Deus creavit hominem nudum & esurientem in carne, ideo illi paternè providit alimenta terræ, & subjecit in Adam: suum tamen jus altum in omnia minimè abdicavit. Et quia pater carnalis virtute sibi concreata generat hominem, pariter nudum & esurientem: ideo ad normam sui Creatoris tenetur illi providere de labore suo alimenta, & eosdem labores manuum hæreditariè in progeniem suam, salvo alto dominiô Creatoris, in proportione justitiæ & æquitatis transmittere.

Nihil

Nihil igitur homo participat à natura patris, nisi genituram & jus carnale alimentorum Deo authore introductum, quod ex duplici tantùm necessitate carnis pullulavit, esuriei, & nuditatis; sicut & Apostolus Gentium has duas necessitates innuit: *Si habemus, quô nutriamur, & cooperiamur*, ampliùs non indigemus. Ergo pro statu Civitatis corporali, alia legis necessitas non est, nisi lex œconomica manducandi & cooperiendi, quam Deus non tetigit, sed in labore hominis repositam conservavit: non aliter tamen, quàm sub disciplina sua corporali.

Sed quæ est hæc disciplina corporalis DEI? ℞. Ecce illa in pactis diluvianis cum Noachitis à Deo præscribitur: *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci. Cunctis diebûs terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies, non requiescent*. Gen. 8. 21. & seq. Ut homo carnalis sentiret se pendere à disciplinariis Dei operibus in terra, videlicet laboris alimentaris, & aëris ac lucis, leniùs ac rigidiùs carnem afficientibus: quæ disciplinaria non sunt juris naturæ, sed potentiæ & dominii Creatoris.

Ast alia jurium naturæ necessitas corporalis, uti sunt, Armorum civilium, Fortalitiorum, Curruum, & Quadrigarum, Aulæorum, & Clenodinorum, Theatrorum, & Castrorum, unde in societate humana originem tenet? nonne ex peccato superbiæ carnalis, & ex superfluo rerum appetitu, necnon ex vana industriæ humanæ æmulatione? Quoniam in primitivo statu naturæ non fuit sic. Unde & Christus vituperans civilia moderna pronuntiavit: *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum*. Et quomodo hæc ad necessitatem, clafsemque juris naturalis recta ratione applicari & reducit valent?

Ideoque irreligiosi naturalistæ si clamitant adversùs statum ministerii Ecclesiastici & spiritualis, dicentes: *Quòd in primitiva Ecclesia Christi non fuit sic*; cur fortiùs clamare adversùs statum ministerii Civilis & carnalis non debeant, quoniam in primitiva societate mundana non fuit sic? quoniam labores corporales hominum, ex superfluo fastu adinventi, & ægrè adducti sunt? & quoniam disciplina eorum civilis ex casibus adversis multiplicata est, supra vires voluntatis & fragilitatis carnis? *Et vobis Legisperitis væ, quia oneratis homines oneribûs, quæ portare non possunt: & ipsi*

uno digito vestro non tangitis sarcinas, Luc. 11. clamavit Christus, & avocabat omnes oneratos ad suum regnum, ut reficerentur in Spiritu: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

Articulus 2dus.

De fundamentis Legis naturæ spiritualibus.

Quando ipse DEUS fuit primus Adæ Præceptor & Eruditor quó ad spiritum, illumque Protoparentem nostrum quà terræ præpositum illuminabat in sciendo, in credendo, & in agendo, juxta testimonia Scripturæ S. *Et creavit DEUS hominem ad imaginem suam: ad imaginem DEI creavit illum, masculum & fœminam creavit eos. Benedixitque illis, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram. Dixitque DEUS: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna.* Gen. 1. 27. & seq. *Præcepitque DEUS ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Formatis igitur, Dominus DEUS, de humo cunctis animantibûs terræ, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Appellavitquæ Adam nominibûs suis cuncta animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ.* Ibid. 2. 16. & seq.

Eapropter non à natura sua, & non à recta ratione sua, jus dominandi in terra, atque potestatem præsidendi in rebus creatis accepit ille Protoparens Adam: sed accepit spiritualiter à Domino DEO imperante. Non enim illi hæc potestas, & jus præsidentiale innatum erat, sed ex imperio DEI externo, commissum, datum, & acceptum; ut in spiritu & ratione regiminis dependeret à Spiritu & voluntate Altissimi.

Neque Adam ex lege innata obedientiæ intromisit se solus ad regimen creaturarum, sed ex lege præcipientis DEI expressa: *Implete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris;* quæ est vera revelatio in civilibus, ut se homo, impletorem, subjectorem, & dominatorem terrenorum non sentiret à natura car-

nali,

nali, aſt à natura ſpirituali: uſumque eorum faceret, non ex arbitrio & miniſterio abſoluto, aſt ex arbitrio & miniſterio obedientiali erga DEUM, ac recognoſceret altum ejus dominium, cum Rege David. Pſal. 23. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus: Orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.* Quoniam hujusmodi recognitio alti dominii DEI eſt fundamentum civile Religionis in Authorem naturæ, & Conſervatorem orbis.

Sicut autem DEUS fuit primus Adæ Pater, Inſtructor & Præceptor: ita ſimilitudinem patriæ poteſtatis contulit in Adam; ut ille quoque ex vi geniture ſuos progenitos inſtrueret, & corrigeret in Præceptis DEI: progeniti verò illius obedirent ei, & honorarent patrem ac matrem, ut ſuos procreatores in benedictione DEI, & proviſores carnalium, in regula juſtitiæ DEI. Nihil itaque DEUS rationi humanæ abſolutè in terra ſubjecit, niſi appetitum carnalem: *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*: dixit Dominus ad primogenitum Cain *Gen.* 4. 7. quoniam nihil ipſi in terra juris Divini concredidit, præter opera & labores temporales exercendos, ſub pœna peccati in malè operantes, & prœmio in bene agentes.

Concupiſcentia ergo carnis malè gubernata ab humana ratione & ſpiritu, dedit fundamentum malè operandi: mala verò operatio in ſocietate, præbuit fundamentum magiſtratûs, & miniſterii coërcitivi ſuper terram; ut per hoc miniſterium juſtitiale DEI, & ſpiritus malè regens appetitum carnis reprehenderetur nomine DEI in Eccleſia: & appetitus indomitus in homine coërceretur nomine DEI in domo paterna, ac civitate, quæ eſt poteſtatis patriæ ſubſidiaria.

Quando demum, ſicut ſuperioribus Doctrinis oſtenſum eſt, Chamitæ poſtdiluviani ex odio maledictionis paternæ abierunt in vias Cain, ac fratrum benedictorum vitantes conſortia & dependentiam ab eis, declinaverunt à recognitione & juſtitia imperantis DEI, in gentiliſmumque abſolutum inciderunt; hinc in filiis diffidentiæ regnum & poteſtas diaboli conſurrexit ſuper terram, adverſùs Regnum DEI, uſque ad Chriſtum Victorem, & Redemptorem.

rem. Sicut expresſè reſpondit Chriſtus ad objectionem Judæorum. Mar. 3. 22. & ſeq. *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Si ſatanas conſurrexit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habet.* Item Luc. 11. 15. *Si autem & ſatanas diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? Porro ſi in digito DEI ejicio dæmonia: profectò pervenit in vos regnum DEI.*

Ideoque necesſitas conſurrexit adunandi Gentes in Chriſto, per viam adoptionis filiorum diffidentiæ.

Articulus 3tius.

De adoptione & instauratione omnium in unum, ex doctrina Apostoli Gentium.

1. *Petri c. 3. v. 18. & ſeq.* Apoſtolorum Princeps à Noachitis incipit: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo. In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant DEI patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma. Qui eſt in dextera Dei: profectus in cœlum, ſubjectis ſibi Angelis, & Poteſtatibûs, & Virtutibûs.*

2. *Ephes. c. 1. v. 3. & ſeq.* Paulus de Chriſto annuntiat: *Benedictus DEUS & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſsemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus. Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Chriſtum in ipſum: ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, quod propoſuit in eo: inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo. Propterea DEUS det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus.*

3. Ex Evangelio Joannis cap. 15. v. 1. & ſeq. *Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere.*

En legem ſimilitudinariam adoptionis, unionis, & communionis naturæ humanæ cum DEO & Chriſto: cui omnis lex naturalis,

lis, & rationalis si non cohæreat in verbo & facto, nihil ex se boni operari potest in mundo, per quemcumque ministrum Schismatis statutorem. Quia & Augustinus interpres hujus legis monet Tract: 80. in Joannem de Christo: *Propter quod cùm esset DEUS, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus.*

Unde Christus Adunator generis humani & naturæ, adversùs dissipatores ejus pronuntiavit Math. 12. 30. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.* Et v. 33. adversùs Schisma: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.* Quoniam licet utraque arbor similitudinem teneat in se legis naturæ, ast non æqualem bonitatis & justitiæ possidet fructum; quia una tantùm salubris omnino est, altera verò in sua diversitate omnino insalubris est: nisi hæc altera, bonæ radici & veræ inseratur, & adoptetur, in uno Spiritu supremi Agricolæ, qualis est unicus DEUS. De quo Christus docuit dicens: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, qui in cælis est, eradicabitur.* Secuta ergo ex Patre plantatione naturæ humanæ in vite vera Christo, etiam lex naturæ in palmitibus suis insertis complantari debet, ut fiat una arbor bona & salubris, atque una lege adoptionis, spiritualiter & corporaliter polleat & convivat in una vite Christo JESU.

Nota. Perpendant ùtinam Majestates terræ testimonium Apostolicum ex Petro: Quòd Christus post mortem suam spiritibus inferorum ob incredulitatem antediluvianam carceratis prædicaverat regnum suum, & subjectionem omnium rerum: imò etiam surrectionem corporum Sanctorum, quæ apparuerunt in civitate sancta, mundo manifestavit, juxta Evangelium: *Et surrexerunt corpora Sanctorum, & apparuerunt multis.* Et quomodo ab instauratione & subordinatione Christi, corporalia á spiritualibus, & spiritualia à corporalibus in Ecclesia sua temporali separabuntur: & potestates pro incommunicabilibus in directione hominum decidentur?

Anti-

Articulus 4tus.

De ſubjectione omnium rerum Chriſto irrationalium, & rationalium.

Actor. 10. 11. & ſeq. *Et vidit* (Petrus) *cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Abſit Domine, quia nunquàm manducavi omne commune & immundum. Et vox iterum ſecundò ad eum: Quod DEUS purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in cœlum.*

Dixitque Petrus ad Centurionem gentilem, & ad domum ejus: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit DEUS, neminem communem aut immundum dicere hominem.* Ibid. v. 28. *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Tunc Petrus juſsit eos baptizari in Nomine Domini JESU Chriſti.* Ibid. 44. & ſeq.

Nota. Viderint quoque Principes terræ cœleſtem purificationem immundorum animalium ſub revelationis myſterio repoſitam eſse, ac Petro Apoſtolo ad occidendum & communicandum cum Gentibus contaminatis ſubmiſsam eſse in ſpiritu: ut ne quidem quadrupedia, & ſerpentia terrarum exempta ſint à purificatione & reconciliatione cœleſti. Et quomodo poteſtas principum contaminata in Gentibus à Spiritu DEI purificante, & à reconciliatione in Eccleſia Chriſti eximetur?

Poteſtatum omnium.

Epheſ. c. 1. v 20. & ſeq. *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ſub pedibus*

dibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus.

Nota. Ex hoc Pauli testimonio pertinetne Status politicus hujus sæculi ad subordinationem in Ecclesia, quando nullibi nomen dominationis suæ supra plenitudiuem Ecclesiæ Christi portavit, sortitus est, aut communicatum habet jus ad præsidendum in Statu Apostolico? Societas politica & sæcularis, adoptata est & inviscerata Capiti & Corpori Ecclesiæ per Apostolos: quomodo majestas ejus, & principatus politici pro membro supernumerario & extraneo à societate inviscerata, apud Naturalistas computabitur? Status politicus est locò cordis in corpore, & non caput.

Jurium terrenorum.

Colofs. c. 2. v. 8. & seq. monet Paulus: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Et v. 19. & seq. *Frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum DEI. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundùm præcepta & doctrinas hominum.*

En Apostoli nihil separati pro statu Gentium antiquo reliquerunt, etiamque traditiones hominum mundanas & civiles reprehenderunt, tanquam disunitivas à nexu Capitis & Corporis Christi, quod est Ecclesia.

Articulus 5tus.

De causis convivificationis Gentium.

Ephes. c. 2. 1. ad 6. ait Paulus: *Et vos, cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulâstis secundùm sæculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Deus autem convivificavit nos in Christo, & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo JESU.*

Nota. Viderint iterum Principes, quòd ambulare secundùm sæculum

culum mundi hujus prohibeat Apoſtolus Gentium: quia princeps poteſtatis aëris diabolus uſque nunc operatur inobedientiam Chriſto in filiis diffidentiæ; ergone ille habebit adhuc locum principandi in ſtatu politico Gentium diffidentium?

Articulus 6tus.

De motivis reunionis Gentium cum Israël.

Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur Circumciſio in carne, manu facta: quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Israël, & hoſpites teſtamentorum, promiſsionis ſpem non habentes, & ſine DEO in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto JESU, vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque Unum: Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore DEO per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Quoniam per ipſum habemus acceſsum ambo in uno Spiritu ad Patrem. Ephes. 2. 11. & ſeq.

Nota. En Gentes olim præputiales ſine DEO, & ſpe in Chriſtum viventes in mundo, indignæ erant converſationis in lege Israël, vetitumque Judæis fuit, ne illis exlegibus commiſcerentur. Poſt evacuationem tamen mandatorum commixtionem vetantium, Evangelica Decreta colligare fecerunt gentes incircumciſas cum Gente circumciſa, in gratia Spiritûs DEI, & fidei, & congregare ad unum ovile Redemptoris juſserunt. Verumtamen leges Gentium adoptare, & ſequi uti mundanas, nequaquam Decreta Chriſti cœleſtia permiſerunt.

Articulus 7mus.

De coædificatione Gentium ſuper Lege Israël.

Ergo jam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici DEI: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JESU. Eph. 2. 19. & ſeq.

En fundamentum Iſraëliticum pro Gentibus, ſunt Apoſtoli, & Prophetæ, nati Iſraëlitæ.

Articulus 8vus.

De cohæreditate Gentium cum Israël, & unitate.

Ego Paulus vinctus Christi JESU, pro vobis Gentibus: Notum mihi factum est sacramentum: quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis, & Prophetis in Spiritu. Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis ejus in Christo JESU per Evangelium: Cujus factus sum Minister: ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia DEI. Ephes. 3. 1. & seq.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, soliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus, & unus Spiritus. Unus Dominus, una fides, & unum baptisma. Unus DEUS, & Pater omnium. Unicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebrîs obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI. Ephes. c. 4. v. 1. 3. 17. & seq.

Articulus 9nus.

De reconciliatione vera contendentium Gentium, in moribus & ministeriis.

1. Cor. 3. v. 3. & seq. insistit Paulus: *Cùm enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? . . DEI enim sumus adjutores: DEI agricultura estis, DEI ædificatio estis. . . Nemo se seducat: siquis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.*

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI. Jam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus. Cor. 1. 4. 1. & 8.

Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt, idem verò DEUS, qui operatur omnia in omnibus. Nam corpus non est unum membrum, sed multa. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, ut non sit schisma in corpore. 1. Cor. 2. 4. & seq.

Nota. Ecce cohæreditas & comparticipatio Gentium cum Israël, tanquam ſacramentum DEI revelatum, per Apoſtolos denuntiatur. Quomodo verò ſtatus gentilis cum ſtatu Iſraël ſtabit unitus in fide, & diſunitus in lege revelata? eritne cohæreditas, comparticipatio, & adoptio generationum uniformis, & ſubjecta in ſenſu & vita unius Legislatoris Chriſti DEI: ſi adhuc Gentes, & poteſtates earum in lege ſua ſeparata gloriabuntur, & de juſtitia independentiæ contendent?

Omnia autem ex DEO, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum: Et dedit nobis miniſterium reconciliationis, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur. 2. Cor. 5. 18. & ſeq.

Nota. Ecce Apoſtoli miniſterium ſuum, & diſpenſationem myſteriorum regni DEI exercent ad Gentes, etiam cum voto conregnandi in gentibus nomine Chriſti, quà legati & reconciliatores poteſtatum pro Chriſto. Poteſtas majeſtatum gentilium nonne erat una ex myſteriis poteſtatum DEI profanatis, & una de talentis in terram projectis per primogenitos filios & ſervos, quos Chriſtus ſeminatos à diabolo appellavit in Evangelio ſuo filios nequam, & ſervos nequam? Quomodo ergo illi filii regni DEI aliunde veri vocari poterunt?

Articulus 10mus.

De ſubordinatione & obedientia Gentilium.

2. *Theſſal. c. 3. v. 6. 7. 9. 14. & ſeq.* dicit Apoſtolus Gentium: *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos. Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut nosmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.*

Nolite locum dare diabolo. Epheſ. 4. 27. *Subjecti invicem in timore Chriſti.* Eph. 5. 21. *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino. Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quasi hominibus placentes,*

ſed

sed ut servi Christi, facientes voluntatem DEI ex animo. Eph. 6. 1. 5. & seq. Item 1. Petri c. 1. v. 1. & 13. *Petrus Apostolus JESU Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ. Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, perfectè sperate in eam gratiam, in revelationem JESU Christi: quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis.*

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas DEI: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi DEI. Omnes honorate: fraternitatem diligite: DEUM timete: Regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter DEI conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Eratis enim, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. 1. Petr. 2. 14. & seq.

Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. 1. Petr. 4. 3.

Et vos domini eadem facite illis, (servis) *remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum.* Ephes. 6. 9.

Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: Pascite qui in vobis est gregem DEI, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm DEUM: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. 1. Petr. 5. 1. & seq.

Justum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. 2. Petr. 1. 13. & seq.

Nota. En Principes nostri utinam viderint ex officio hanc declarationem Apostolicam subjectionis & obedientiæ pro inæqualibus statibus hominum datam: ut hi suis parentibus, dominis, ac regibus, tanquam ipsi Christo ex voluntate DEI subjacerent, & ser-

virent, atque honorem & tributa præstarent eorum ministerio. Ubi autem Ecclesia Apostolica est nomine DEI & Christi imperatrix obedientiæ ad filios & servos pro principibus terræ, atque custos est subordinationis erga Christum; quomodo, & quare hæcce Ecclesia Christi imperans & docens subjectionem, trahi potest & redigi in servitutem civilem, & coæquari cum ovibus suis? Nonne Christus Delegans in suis Legatis patietur perinde servitutem authoritatis, ac Legis suæ regalis? Imò dispensatores mysteriorum regni DEI despectiores fierent dispensatoribûs mammonæ hujus sæculi! Unde Paulus Gentium Apostolus Corinthianos principiantes in Lege DEI admonuit 1. Cor. 6. *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus? quantò magis sæcularia?* Mandavit Ecclesia Apostolica obedire dominis etiam dyscolis, & judicavit libertatem naturalem in servis patientibus: Quare id? Certè ideo, ut domini ex obedientia & patientia servorum ædificarentur in mansuetudine, & exempla subordinationis suæ DEO, atque Ecclesiæ ex servis Christianis addiscerent, ac ipsimet dominio Christi, & Ministerio sacro obtemperarent propter meritum æternæ retributionis.

Articulus 11mus.

De Legis veteris usu & abusu inter Gentes.

2. Petr. 2. 1. & seq. *Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo,* (Judaico) *sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem . . . Libertatem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, hujus & servus est. . . Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem: ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Salvatoris. Et Domini nostri longanimitatem,

salutem

salutem arbitremini: sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. 2. Petr. 3. 1. & seq.

Paulus verò ait: *Quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis eâ legitimè utatur: sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundùm Evangelium gloriæ beati DEI, quod creditum est mihi.* Timoth. cap. 1. v. 6. & seq. ad 12.

En in primitiva Ecclesia adunationis Gentium, cum fidelibus & electis Israël, etiam leges civiles Israëlitarum proponebantur pro malefactoribus gentilibus, ut justitiæ DEI, & veritatis Evangelicæ connexa mandata: quas leges, sicut & ipsum Evangelium, excutiebant vaniloqui doctores coram principatibus terræ, sicut Paulus *Ephes. cap.* 6. 12. expressit: *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversùs principes, & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Id est ministeria Regis Christi contra ministeria mundana luctabantur de Legibus cœlestibus amplectendis.

Articulus 12mus.

De Præsidentia ministerii in jure dicundo.

1. Ait Christus Rex: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,* Math. ult. Lex hæc post victoriam Crucis, & resurrectionem pronuntiata in terris, omni dubió caret, quin cœlestium & terrestrium plenitudinem in se comprehendat pro Christo: sed an fuerit ad unum Vicarium Christi in terris, ministerialiter communicata & delata? non cessat in dies colluctatio.

2. Ser-

2. Sermo tamen omni acceptione naturali dignus eſt: Quòd Rex Chriſtus, æqualis Divinitate Patri ſuo æterno, minor autem humanitate, miniſterium Patris ſui cœleſte viſibiliter in terra gerebat ut homo ad homines, pendebatque in humanis ſuis á mandato Patris, & revelationibus ejus, in omnibus verbis & operibus miniſterialibus, idque per dilectionem & ſubordinationem, pro norma mundi: ſicut ipſe faſsus eſt, & dixit Joan. 14. 31. *Ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

3. Scimus tamen Catholici miniſterium viſibile Chriſti, quomodo ille, antequam conſcendiſset ad dexteram Patris, viſibili Collegio Diſcipulorum, totique Eccleſiæ militanti primitivæ fuit Præſes corporalis, Diſceptator legis, Lator, Diſpenſator, Dux primus, Paſtor, & Miniſter neo-accedentium fidelium & infidelium; ad quorum adoptionem uſus eſt more humano operâ & adjutoriô comminiſteriali Apoſtolorum: licèt per ſe potens erat, ut totum mundum uno ſigno cœleſti ad ſe convertiſset.

4. Tale igitur ſingulare Miniſterium Præſidentiæ ſuæ, ac juris dicundi in terris, quod Chriſtus ſacerdotaliter & regaliter gerebat nomine Patris æterni, volebatne, ut morte ſua & aſcenſione in cœlum, transferretur ab hominibus: aut expiraret, ceſsaret, & vacaret? Per conſequens conveniebatne, ut *Poteſtas* illa *data* Chriſto *in terra* ſingulariter, abſque ſingulari exercitio & proſequutione miniſteriali evaneſceret ex oculis hominum, cum aſcenſione Domini? Nemo naturaliſtarum id ratione, vel revelatione probare poteſt.

5. Igitur Officium & Miniſterium Chriſti præſidentiale ſuper collegio Diſcipulorum, & Eccleſia Apoſtolica primitiva, decimumtertium & principale eſt ſuper duodecim Comminiſtros & Coadjutores Apoſtolos: quod ſupprimere, & in ſingulari Vicario non retinere, aut inter omnes Miniſtros æqualiter exdividere, non eſt juſtum, ſed anarchicum, acephalicum, & diſperſivum miniſteriorum opus. *Qui non colligit mecum, diſpergit*, ait Chriſtus.

6. Ideo non vanè Apoſtoli ipſi locum Judæ traditoris orbatum in Collegio vacare non fecerunt, ob memoriam inſtituti Dominici: ut Officium & miniſterium non deficeret. Ipſe autem Chriſtus relicto

Prima-

Primatu suo, & potestate Vicariali Clavium penes præordinatum à Patre æterno Petrum, tanquam Beatum in revelatione, & in ordine duodenario primarium: quid deinde mirabiliter fecit, assumpto ad Officium suum Pastorale Petro: *Pasce oves meas*? Ecce Paulum decimumtertium Apostolum vocavit, ut figura Collegii Apostolici in numero duodecim servaretur ad operandum: & Præsidentia Ministerialis ac suprema Christi, in Petro Vicario ejus singulari non periret.

Ergo Vicarius Christi Petrus, & omnis Succesfor Petri rectè & necessariò portat singulare ministerium in se ac Præsidentiam jurisdicundi: quæ erat singularis in Christo, supra omne Collegium, & Ecclesiam primitivam; per consequens necessariò inhæret Ministerio ejus Vicariali omnis potestas directiva, quæ data est Christo, & concernit ministerium Regni Christi. *Matth. ult.*

7. Singulariter quippe Petro interroganti, Christus collegialiter de vigiliis super familiam suam respondit: *Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam? Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Luc. 12. 41.

Et illi quoque singulariter promiserat: *Tibi dabo claves regni cœlorum: Quidquid ligaveris &c.* Atque illi demum soli inter Collegas suum ovile Apostolicum, & authoritatem Pastoratûs imperativè imposuit: *Pasce agnos meos*, tanquam agnos occisionis: *Pasce oves meas*: tanquam gregem universi; *Joan: 21. 15. & seq.* Quod mandatum speciale ad communitatem, licèt in facie communitatis Apostolicæ prolatum, non direxit, nec applicavit, ut ministerii sui unitatem indivisibilem à se, communicabilem tamen in Vicario suo, ad alios demonstrâsset, & salvâsset in uno Duce.

Quisquis itaque non audit vocem summi Pastoris in terra, resistit ministerio Petri: ex Petro, resistit Ministerio Christi: ex Christo, resistit Potestati DEI, & ordinationi Regni DEI, quod est Ecclesia DEI vivi. Quoniam hoc est unicum Ministerium summi Pastoratus & jurisdictionis, quod expressis & singularibus articulis Legis Divinæ innititur, & supra omne commune ministerium spirituale ac civile in potestate clavium aperiendi, & claudendi,

theocra-

theocraticè fundatur, & denuntiatur. Atque hoc est merè personale ministerium, quod memorativum & repræsentativum sit Capitis Christi, ejusque Officium theocraticum & universale sub cœlo, pro præsenti & durante ad consummationem sæculi, humana providentia, unicè exerceatur, sicut de Legibus Regni Christi *P. II.* supra uberiùs patet.

Articulus 13tius.

De Officio ministeriali in publicis Consiliis Regni DEI, Seu Conciliis.

1. Excurrit nimis adversùs summum Pastoratum Rieggerius apud se *P. 1.c.v.* de Conciliis dicens: ,, Post voces decisivas coæquales Episcoporum, quid habent loci Confirmationes Decretorum Pontificiæ? ,, Ibi enim §. CCXLVII. movet sibi quæstionem. - *Quid sit Decreta Conciliorum confirmare?* & ait: *Est autem confirmare in genere nil aliud, quàm novas addere rationes. Quibûs efficiatur, ut ea tanquam decretoria ab omnibus suscipiantur.*

2. R. Christus cùm in humanis ágeret super terram Caput Ecclesiæ & Religionis visibile, videretque ex causa humanitatis assumptæ, quòd ut Filius hominis non inveniret erga se fidem apud terricolas: Collegio suo Apostolico proposuit conciliariter Dogma fidei discutiendum de sua Divinitate, Matth. c. 16. in quæstione: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Respondebant itaque collegialiter Apostoli dicentes: *Alii te dicunt esse Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Subjunxit interrogationem ad ipsos Christus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Hanc Petrus resolvit decisivè, suo, & Fratrum nomine: *Tu es Christus, Filius DEI vivi,* & nullus ex Collegio contradixit, sed omnes haberunt Dogma hoc pro decisio.

3. Præses Collegii Christus perstititne in hac decisione conciliari? minimè: sed confirmavit veritatem nomine Patris sui, cujus Ministerium gerebat, tribus suis Decretîs adjectis dicens, in uno: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* In altero Decreto coædificationem Ecclesiæ suæ super

ſuper ſtabilitate fidei Petri condixit : *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* In tertio demum collationem poteſtatis clavium ſuarum in Decidentem determinavit : *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ſolveris & ligaveris ſuper terram, erit ſolutum & ligatum in cælis.* Et ſic Concilium fidei erat confirmatum, & finitum inter Apoſtolos.

4. Deinde in altero Concilio miſſionis Apoſtolorum ad civitates & caſtella: Referebant miniſtri miſſionum acta ſua ad Præſidem Chriſtum, & fructum prædicationis : ut probarentur, & obfirmarentur. Luc. c. 10. 17. & ſeq. *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* Caput Miſſionis Chriſtus audiens hæc, unum approbavit, alterum relationis eorum punctum reprobavit, ut punctum vanæ gloriæ, & ait illis : *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici : & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur : gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis ... Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt ; & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Et ſic Concilium miniſteriale inter Mittentem, & Miſsos Diſcipulos, approbativè & reprobativè terminatum eſt.

Idcirco non tantùm rationi & ſubordinationi eſt conforme : ut ea, quæ aures, oculi, & brachia collegerunt, Caput pro ſuo officio, nomine & authoritate Capitali ipſius Chriſti ratificet & confirmet : Verùm etiam non obſtante eo, quòd Confirmator Pontifex ſupremus nullas rationes novas addiderit in confirmatione ſua, neceſſitas exigit, ut per conſervos DEI concorditer reſoluta, & deciſa Conciliaria opera, obtineant pro ſe teſtimonium unitatis Spiritûs ſancti, induantque valorem Legis Capitalis & univerſalis, ex confirmatione Paſtorali illius Clavigeri poteſtativi, cui injunctum fuit à Chriſto : *Confirma fratres tuos.*

CAPUT VII.

De Impedimentis Unitatis à Regno DEI removendis.

§ I.

Minifteriale impedimentum: *Invidia*, *& Odium*.

1. Frater Israël Jofephus narravit fratribus vifionem fuam Gen. 37. *Putabam nos ligare manipulos in agro: & quafi confurgere manipulum meum, & ftare, veftrofque manipulos circumftantes adorare manipulum meum. Refponderunt fratres ejus: Numquid rex nofter eris? aut fubjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo caufa invidiæ & odii fomitem miniftravit.*

2. Hoc ipfum inter Fratres & Miniftros Chrifti, ac regni DEI adminiftratores perdurat impedimentum Unitatis: ut non cohæreant in officio civiles cum fpirituali Fratre, aft fefe invidiosè in agro Dominico de fubordinatione exagitent, & feparent; ne aliàs manipuli juris naturalis teneantur fubmitti, & adorare manipulum vifionis, & revelationis in Chrifto Rege.

3. Articulus fidei eft de poteftatibus pro Chrifto: *Data eft mihi omnis poteftas in cælo, & in terra*. Matth. ult. Hunc articulum quifquis Miniftrorum non tenet, nec reveretur: totum Regnum Chrifti in hoc articulo fundamentali conftabilitum, & revelatum ad homines, non tenet, nec reveretur, partemque minifterii fui odiô feparat, & ponit cum infidelibus: quia officium fuum pendere à poteftate & juftitia naturali, quæ obedientialis tantùm erga Chriftum à Deo decifa eft, contendit; ut poteftatem & juftitiam fupernaturalem in minifterio fuo declinet, & fubordinationis nexum difrumpat.

4. Poteftas enim DEI Miniftrorum in naturalibus illud talentum eft, quod erat abfconditum in terra, & non lucrabatur fervus domini pro domino fructum, fed projecto talentô, operabatur opera principis tenebrarum: donec recuperatum à domino, traderetur illi fervo habenti, & lucranti decem mnas, five talenta, pro negotio domini, *Math.* 25. 14. & *feq.* Vetus igitur minifter, nifi depofita invidiâ accefserit ad Miniftrum undecim talentorum, & pro fuo effofso talento refipifcens poftulaverit, ut illud nomine Chrifti

mutu-

mutuò ſibi conceſsum ad utilitatem ſolius regni DEI rehabeat, atque negotiationis ſuæ opera ſubordinet; jam ille Miniſter exrex in Chriſto, & exlex in officio, ſeipſum talentô ſpoliat, & ſolvit articulum illum fidei miniſterialis Regi regum ſervientem: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.*

5. Proinde aliud remedium talis impedimenti removendi inter dyſcolos Miniſtros DEI non habetur ex jure naturæ terreno, ſed ex jure revelato expetendum venit, hoc eſt: Quemadmodum majoritas undecim fratrum, qui erant undecim principes tribuum Israël, invidiâ & odiô infecta, ex vi naturalis ſuæ prioritatis adverſùs fratrem Joſeph minorem, adacta eſt neceſſitate utriuſque vitæ corporalis & ſpiritualis: ut ſecundùm viſionem adorationis manipulorum, accederent ad minorennitatem Joſephi fraternam, ejusque manipulum poteſtatis in ſubmiſſione recognoſcerent, & apud Gentes adorarent; Pariformiter utraque neceſſitas ſalutis & benedictionis principes ſæculi naturales ex lege revelata movere debet: ut tranſmiſsa poſt tergum invidiâ & odiô miniſteriali, accedant ad reunionem fraternam, & majoritatem principatûs ſui ſuppoſitam, revelatæ poteſtati in minorato Chriſto, & in ejus Vicario, Servo ſervorum DEI, fraternè ſubmittant, pacemque ſibi & populo in unitate Legis Divinæ ad ædificationem Gentium concilient. Quoniam hoc myſterium ex ſolo Deo eſt: *Major ſerviet minori: & infirma mundi DEUS elegit, ut confundat fortia*, ait Paulus Apoſtolus Gentium.

§. II.

Alterum impedimentum Unitatis: *Contentio Naturaliſtarum vana pro jure naturæ.*

Objectio ex Cicerone.

Contendunt naturaliſtæ, argumentumque pro independentia Principum Civilium adferunt ex Philoſopho Cicerone, Libr. 3. de Republica: *Et quidem Lex vera, recta ratio: Et imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, diſceptator, lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugit, & naturam hominis aſpernatur:* Opponit Rieggerius Naturaliſta, ut rectam rationem pro lege Principum, & non Revelationem juris ponat.

Responsio.

1. Philosophi veteres apud Clemen: Alex: Libr: 1. Philosophiam appellârunt, quòd sit *Studium rectæ rationis*: Ergo rectitudo rationis humanæ non nascitur, sed discitur; qualis autem doctrina, talis & rectitudo acquiritur. Et quomodo illa rectitudo erit à natura in homine, si quæritur ex revelatione Philopsohiæ probabili & incerta?

2. Ipse Cicero Republicantius Deum imperatorem, assignat *inventorem, disceptatorem*, & *latorem* hujus legis humanæ: Ergo ratio humana non est legislatrix sibi à natura, sed ex Deo inventore, & disceptatore: Ergo necessariò rectitudo rationis pendere debet ab illo Inventore rectificante, & ratio ipsa est obedentialis lex animæ cogitantis, & non absoluta. Unde igitur pro ministerio Principum necessaria lex directiva populorum quæri & acquiri potest in civitate, si non acquiritur ex Deo revelante, & imperante?

3. Quapropter quisquis recta ratione Deo imperanti & disceptanti non obedit ex ministris, ipse se fugit, & naturam hominis aspernatur. Quia omnis homo non possidet aliam sibi innatam ex libertate naturali legem, quàm legem electivam parendi Deo, vel non parendi, in spiritu. Idcirco ait Scriptura: *Si Dominus, DEUS vester est: sequimini illum; si Dominus Baal*, (& Natura,) *Deus vester est: sequimini illum*. Utriusque tamen Domini legem sequi nemo potest, nisi in spiritu.

Declaratio ex Christo.

1. Articulus fidei est consubstantialis illi Articulo: *Data mihi est omnis potestas in cœlo, & in terra*, qui consonat rectè: *Euntes ergo, docete omnes Gentes, baptizantes eos*. Quare eundum est Apostolis pro Christo ad omnes naturæ Gentes? Quia Christo data est omnis potestas in terra Gentium. Quare rursus imperatum est Apostolis, ut docerent omnes Gentes? Quia rectam rationem non habebant sciendi, credendi, agendi & parendi voluntati, atque potestati DEI in spiritu. Quare demum his Ministris Christi impositum est: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*? Quia hæc omnis potestas docendi & præcipiendi, quæ data est ministerio Christi in terra, mansit & relicta est omnimodè circa ministerium Ecclesiæ docentis; ut pariter

impo-

imponeret obedientiam servandi omnia mandata, in omnibus Gentibus: qualia mandata imposita sunt ipsis Præceptoribus, & ministerio eorum supernaturali in spiritu.

2. Quia verò hæc potestas docendi & præcipiendi non est relicta circa ministerium principum naturæ, & legisperitorum naturæ; Unde ergo illis potestas docendi & imponendi populo jus seorsivum naturæ, & directivum morum hominum, ex Philosophis gentilibus? Christus hoc non mandavit in sua Lege, neque in suis moralibus disciplinis recurrit ad aligenas doctores, nisi ad Doctores & Prophetas revelatos à Deo, tanquam Filius obedientiæ DEI.

3. Multò magis, undenam Naturalistis jus & potestas contentionum, & pugnarum legis, adversùs Leges & disciplinam Ecclesiæ Docentis Christi, ut Ecclesiam Romano-Catholicam, velut abortivam naturæ prope per octodecim sæcula in ministerio Legis altissimæ more hæterodoxo persequerentur, aut limites potestati ejus, ex codice quodam rectæ rationis disperso, in directione Gentium, dividendo unitatem, præscriberent, & ponerent?

4. Ponantur quippe coram Tribunali judicii Divini Codices juris revelati, & codices juris naturæ: nonne Codices revelati judicabunt, & codemnabunt independentiæ codices naturæ? Equidem ex Codice revelato judicabitur & justificabitur coram Deo homo: Ex codice verò naturalis rationis, non est promissum, ut justificaretur homo, à fortiori princeps & minister DEI in Spiritu.

5. Proinde removeantur tantùm in civitate Naturalistæ cum suis exauthoratis Codicibus, & cum spiritu contradictionis suo; remittantur ad judicium Ecclesiæ mandantis servare præcepta DEI, ex potestate Christi: Exnunc Articulus Fidei: *Docendi omnes Gentes*: in spiritu uno penes Ecclesiam Vicarialem Christi, ejusque Caput Romanum, stabit, & pax Regni DEI resurget.

Doctrinæ

Doctrinæ Naturalistarum injustificabiles.

Ex Libro cui titulus: *Reformatio in Germania*: Viennæ 1781. apud Sebastianum Handl impresso, pro brevi idea,

Excerptæ & *Resolutæ*

Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua Præsul. *Ut Christus jussit, Petro solvente tributum.*	℟. *Accipiat Cæsar Nummum, quæ sunt sua Præsul;* *Ut Christus jussit: Petro piscante tributum.*

1ma.,, Numerosæ querimoniæ, super errores, superstitiones, & abusus, qui experientiâ confirmati sunt; atque Claustrorum dominia, pompæ, atque divitiæ; tum otia Religiosorum: omnia inquam isthæc Evangelio Jesu Christi adversantia inconcussum sunt documentum, quòd Germania reformatione indigeat, per imperium Statûs politici.,,

2da.,, Sicut Potestas Papæ Romani est maxima super omnem Ecclesiam, in puncto Religionis; ita in puncto politiei, & temporalium, maxima est Imperatoris potestas. Cum itaque demonstrari nunquam poterit, quòd Salvator mundi aliam dederit potestatem suis Apostolis, eorumque Successoribus, quàm ad ligandum, & solvendum in rebus fidei: ita neque Papa Romanus, neque ulla alia Persona spiritualis jus habet, sibi aliqua appropriandi dominia, aut in negotia sæcularia sese intromittendi, sine facultate potestatis mundanæ.,,

3tia.,, Si itaque Papa Romanus, reliquæque spirituales Personæ, à Principibus sæcularibus aliqua obtinuerunt Dominia, Regiones, & Privilegia, & quocumque tandem titulo colorato, eadem acquisierunt: possunt illa ad beneplacitum Principis, & juxta exigentiam circumstantiarum ab illis recipi. Et quòd Cæsar potestatem habeat, & Papæ, & omnibus Spiritualibus, bona recipiendi.,,

4ta. Ordinationes Ecclesiæ, quæ influxum habent ad Politicum: ,, de his potest disponere Princeps sæcularis; quia secundùm leges

Regi-

„ Regionis institui debent : imò si contra Leges Regionis sunt, mutari debent. Nam Ecclesia cùm non noscat Leges cujuscumque „ Regionis, ideoque universales Ecclesiæ Ordinationes, universaliter obligare nequeunt. „

5ta. Imperator Romanus, & Catholici reliqui Regentes, sunt „ Protectores Ecclesiæ & Religionis, & in sua electione jurant ad „ eandem defendendam. Nihil itaque plus potest Ecclesia à Principe sæculari prætendere, quàm ut sufficientem numerum spiritualium Personarum Princeps conservet, quibus cura & salus „ competit animarum. „

6ta. Ingens numerus diversorum Religiosorum liberè est à Principe receptus, quin, ut eosdem recipere teneatur, Ecclesia imperare possit, aut jusserit. Si itaque non placet Principi varios „ tolerare Religiosorum Ordines, tum supradictos Religiosos numerosos Ordines potest Princeps absque consensu Ecclesiæ „ tollere.

7ma. Cùm omnes Regularium Ordines paupertatem voveant, „ quo mediante nil proprium possidere possunt: ideoque illis pro „ perpetuis temporibus, omnia Dominia, Bona, Domus, prædiaq; „ recipi debent. Numerus Claustrorum (qui plùs justô accrevit) debet ad beneplacitum Principis minui. Omnes Claustorum „ proventus debent fideliter Principi annuntiari. Et qui eosdem „ fideliter non reproduxerint, ut deceptores Principis Regnô pelli „ debent. Magnifica Claustra Prælatorum, Monachorum, & Religiosorum, quorum habitatio Principibus tantùm convenit, sæcularibus divendi debent. „ Et alia multa ibid. sparsa narrantur à spiritibus Rieggerianis. Febronianis, Puffendorfianis identidem Germaniæ jactata: quæ neque Evangelicis, neque naturalis rationis principiis innituntur.

Resolutio ad Propositionem primam.

1. Status Politicus est Expolitor rerum temporalium, non Expilator: regularis etiam est & religiosus, non verò irregularis & irreligiosus

ofus: in medio Fraternitatis Chriſtianæ, in fine autem ſæculorum Redemptionis Chriſti, & pœnitentiæ. Secundarius eſt abnegator mundi, & exivit de ſtatu ethnico, ut omnia teneret & regeret non pro ſe, aſt pro regno DEI ad terras demiſso. Quoniam quæ ſunt Apoſtolis demandata, hæc ſtatibus Gentium ad ſervandum, mediante doctrina Eccleſiæ docentis, injuncta ſunt Evangeliô: *Quærite ergo primò Regnum DEI, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicentur vobis.*

2. Equidem & Status politicus, ſi ex Deo eſt, verba DEI audit, & non vivit de proprio dominio, ſed de dominio laborum privatæ plebis, & de collectione tributaria adjectivè titulo miniſterii ſibi agnita: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari; quæ ſunt DEI, Deo.*

3. Si autem Rex Chriſtus fuit deciſor tributi Cæſarei, quare Eccleſia ejus Sponſa, & Vicaria deciſivam non haberet poteſtatem ſuper juſtitia tributorum ex vi ejuſdem Evangelii, quod eſt regula & magiſter pro operibus juſtitiæ DEI? Nemo Evangelicorum oſtendit aliquando excluſivam, neque probavit contra Eccleſiam.

4. Ideo noli decipere teipſum blanditorem, & noli onerare poteſtatem Cæſaris habentem nimis, quæ ſua ſunt ad emendandum. Numeroſæ enim populorum querimoniæ ſuper errores & abuſus operum civilium invitos; ſuper collectiones militum libertatis naturalis & patriæ poteſtatis læſivas; ſuper caſtra innumera, & onera tributaria pacificorum civium; ſuper theatra & pompas otioſas; ſuper tolerantia perverſorum ſcriptorum & hæreſum adverſus Leges DEI & Chriſti; ac ſuper alia pacis & charitatis Chriſtianæ everſiva præjudicia: & omnia iſthæc Evangelio Jesu Chriſti adverſantia, inconcuſsum ſunt documentum, quòd Germania in his operibus Religioni ſubſidiariis reformatione indigeat: Reformationem verò Clauſtralium Præſuli & Capiti Eccleſiæ relinquat.

5. Etenim Imperium ſtatûs politici habet ſua Inſtituta corporalia, ut ſunt: Inſtitutum argicultorum, & hortulanorum: inſtitutum venatorum, & nautarum: inſtitutum opificum & artificum mæchanicorum: inſtitutum caſtrorum, & nobilium Equitum: inſtitutum metallifoſsorum, & Chymicorum: inſtitutum mercatorum, negotiatorum, & exactorum; aliaque contubernalia in ordine civili adinventa opificia, quibus præeſt ideo, ut hæc inſtituta ad regulam œcono-

œconomicam & phyficam rectè ordinata, expolita, & regularia, ad vitam temporalem confociorum mutuò fibi inferviant; ac ea, quæ nuditati & alimento corporis necefsaria funt, in tempore provideant. Sicut paterfamilias primus polítiei in domo fua, antequam in civitate inftitutor exiftat, de necefsariis domefticorum providere folet.

6. Hæc verò inftituta civilia operas fuas locaverunt pro civitate, & in his reformari pro exigentia pofsunt: Dominium tamen mercedis fuæ, & lucri juftitiæ, quod pro operis fuis acquirunt, nequaquam Statui politico locaverunt, ut ab operariis quæfitum, per politiem excutiatur, & auferatur.

7. Ita de dominio Inftitutorum Ecclefiafticorum fuper rebus intuitu operarum quæfitis cenfendum habent naturaliftæ, quòd ab eis dominium defervitæ & deferviendæ mercedis ftabilis per Statum politicum auferri nequit: quoniam Chriftus de operariis fui regni pronuntiavit: *Dignus enim eft operarius mercede fua.* Et rurfus: *Qui reliquerit domum fuam propter me, & Evangelium: centuplum accipiet, & vitam æternam pofsidebit.* Vide Leges Chrifti fupra *Part.* 2. adductas de alimentis.

Refolutio ad Propofitionem Secundam.

1. Si conceffifti Papæ Romano maximam poteftatem fuper Ecclefiam in puncto Religionis: adde Divinam & univerfalem; Si quoque conceffifti Imperatori maximam in puncto politiei & temporalium poteftatem: ne fubtrahas Divinam, & Regionalem, feu membralem & pendentem ab univerfalitate Evangelica; quia & lex redditoria tributi pro Cæfare, pars eft & membrum pendens à corpore juris Evangelici.

2. Verumtamen qui imperat Chriftus redditionem tributi minifterio Cæfaris, nonne ipfe imperat ut Dominus, & Superior tributorum judex? Etenim Chriftus propterea, *quòd mundus eum non cognovit, & in propria venientem fui non receperunt:* minimè defiit efse hæres univerforum, *per quem omnia facta funt*, Joan. 1. Eaque poteftate univerforum ingeffit fe in temporalia mandatis fuis, dicens principi fæculari: *Si vis perfectus efse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, fequere me.*

3. Si

3. Si verò Christus jussit principi ad perfectionem suam vendere omnia, & dominium substantiæ suæ cum pretio transferre in pauperes: quomodo pauperes Christi discipuli, non habent jus appropriandi sibi dominia super sua portione eleëmosynaria, juxta liberam sibi traditionem, sive in pecunia, sive in re immobili? Utique Salvator non reprehendit divitem publicanum Zachæum, cum dixisset: *Domine: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, imò *Filium Abrahæ* fidelem appellavit.

4. Equidem omnis princeps terræ, in nuditate natus, etiam dominium rerum non attulit secum, sed ex parentum orbitate illud acquisivit, & dominus factus est in labore alieno. Sicut & Cæsar tributi factus est dominus non ex se, sed ex contribuentibus filiis alienis, ita, ut hæc contributio comparata juri Decimandi Pontificio & Ecclesiastico nihil aliud sit, quàm certa & fixa Eleëmosyna politica, ad necessitatem sustentandi Statûs politici: quemadmodum Decimatio est certa & fixa Eleëmosyna Ecclesiastica, ad necessitatem sustentandi Statûs Ecclesiastici ex Deo provisa, ûtraque Lege DEI præscripta.

5. Non legerunt autem naturalistæ mandata Christi in temporalibus: qualiter Salvator mundi sine facultate mundanæ potestatis ingessit se in necessaria, dicens: Luc: 19. 30. *Ite in castellum, quod contra est: solvite pullum, & adducite. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvitis pullum? At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Jesum.*

En palam demonstratur Naturalistis ex Evangelio, quia Christus Dominus jure sui dominii usus est, & Apostolis dabat potestatem ligandi & solvendi nedum in rebus fidei nudæ, sed & in temporalibus fidei necessariis: *Ite solvite pullum, adducite. Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? Sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat.*

6. Item Luc. 22. 8. & seq. *Misit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis, paremus? Et dixit ad eos: Ecce introëuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat. Et dicetis patrifamilias domûs: Dicit tibi Magister: Ubi est di-*

ver-

verſorium : ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem ? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum, ſtratum : & ibi parate.

Ecce aliud mandatum Apoſtolis, ad intimandum nomine Chriſti patrifamilias domûs : *Dicit tibi Magiſter: Ubi eſt diverſorium ?* Et obedivit paterfamilias ; & oſtendit ac præbuit ſuum cœnaculum grande, & ſtratum. *Marc. 14. 10.*

Itaque Chriſtus & docuit, & exemplô demonſtravit, quomodo neceſsaria temporalia ſibi exigerent à patribusfamilias civilibus Apoſtoli & Perſonæ ſpirituales, nullo Magiſtratûs politici beneplacito & facultate concurrente. Quia univerſalis neceſſitas Magiſtratûs ſpiritualis, eſt ſupra particularem neceſſitatem Magiſtratûs temporalis. Illa enim neceſſitas eſt ex ſubſtantia regni DEI: hæc autem neceſſitas, eſt tantùm ex adjectivo regni DEI: *Et hæc adjicientur vobis. Dicit tibi Magiſter : ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum.*

7. Demum Chriſtus mandavit Apoſtolis ſuis Math. 7. 12. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Et rurſus : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Quomodo autem facient reciprocum temporale propter homines, ſi nullius mammonæ dominium tenebunt inter homines? Si verò in Lege & Prophetis, in quibus reciprocatio operum à Chriſto ſtabilitur, nulla erat proprietas bonorum pro Spiritualibus : ergo naturaliſtæ vicerunt Evangelium ; ſecus, victi ſunt ab Evangelio.

Reſolutio ad Propoſitionem tertiam.

1. Qua ratione naturali audent Naturaliſtæ, Principes Chriſtianos conſtituere raptores Patrimonii Chriſti in Eccleſia, & privilegiorum alienorum, quæ patres antiqui ſine pacto retractûs donô obtulerunt, facere ſubtractores, jam verò ultimarum voluntatum avitarum liberos convulſores? Autne filii Principum ſuccedunt in ea jura, quæ ſub dominium Sanctuarii tranſierunt perpetuùm pro Domino; antequam natura cogitavit generare hæredem Filium poteſtatis Domini, aut facere Principem Miniſtrum propter Dominum?

2. Rex Nabuchodonoſor quando evocavit ſervos DEI incombuſtos de fornace Babylonica ſua, Annô ante Chriſtum 570. ait Scriptura

Prophetiarum *Danielis c. 3. v. 93. & seq.* erumpens in benedictionem DEI excelsi, & Servorum ejus: eò, quòd confisi Deo suo tradiderunt corpora sua in ignem ardentem, *& verbum regis immutaverunt*; privilegiavit eos, & cùm essent ex captivis filiis Israël, promovit eos in provincia Babylonis, non obstante Baltassaro filio suo & Principe. Insuper Decretum contra blasphematores DEI Excelsi, & contra suam naturam potestatis errantis scripsit, & Regnum DEI per terras suas pro sempiterno promulgavit, dicens: *A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus ejus vastetur: neque enim est alius Deus, qui possit ita salvare. Tunc Rex promovit Sidrach, Misach & Abdenago, in Provincia Babylonis.* NABUCHODONOSOR *Rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt; & mirabilia ejus, quia fortia; & regnum ejus regnum sempiternum, & potestas ejus in generationem & generationem.*

En privilegium, placitum regium, & decretum regis naturalis pro Deo excelso, & pro Servis ejus fidelibus. Estne à successore principe revocabile, retractabile, aut tanquam esset titulo aliquo colorato acquisitum, in naturalibus cassabile?

3. Deinde *Esdræ 1. 7. 12. & seq.* Decretum & privilegium Artaxerxis Regis pro Captivis Israëlitis legitur: *Artaxerxes rex regum Esdræ Sacerdoti, Scribæ legis DEI cæli doctissimo salutem. A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de Sacerdotibus, & de Levitis, ire in Jerusalem, tecum vadat. A facie enim regis, & septem consiliatorum ejus, missus es, ut visites Judæam & Jerusalem in Lege DEI tui, quæ est in manu tua.* Ego *Artaxerxes, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit à vobis Esdras Sacerdos, Scriba legis DEI cæli, absque mora detis. Omne quod ad ritum DEI cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo DEI cæli: ne fortè irascatur contra regnum regis, & filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & janitoribus, Nathinæis, & ministris Domûs DEI hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos. Et omnis*

qui

qui non fecerit legem DEI tui, & legem regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus.

En aliud decretum privilegiumque regis ethnici, pro Sacerdotibus & Ministris DEI peregrinis, qui nullo jure civium communi fruebantur in Regno Babylonico, ob infidelitatem in Deum. Estne pura gratia, & revocabilis? Nequaquam: quia innititur Legibus DEI cœli, & emanavit ex justo timore DEI cœli, ne irasceretur in regnum regis, & filiorum ejus.

4\. Quid ergo de Bonis Papæ, de Sacerdotibus Christi, deque Privilegiis eorum, super proprietate & immunitate, per Principes & Imperatores Christianos datis & concessis, ac religiosè Sanctuario DEI dicatis, somniant naturalistæ: acsi ex gratia mera, & non ex justitia fuissent pro Servis Christi DEI constituta & impertita? & acsi ad placitum Successorum Principum ademptibilia essent?

5\. Omnia hæc possidentur ab Ecclesia DEI, nomine & jure solius Regis Christi, qui in majoribus signis, quàm erant apud Babylonios, redemptionem populi, & salutem attulit mundo: omnesque potestates morte & victoria Crucis superavit, ac in sanguine Martyrum suorum, per sæcula prope quatuor usque ad Constantinum magnum Regni Christi Assertorem, dominium sibi suisque Servis Apostolicis evicit. Ergone hæc jura Deo dicata ob temporalium invidiam violabuntur? Absit: Ne Deus conquerens apud Ezechielem Prophetam *cap. 13. 19.* exprobret violatoribus: *Et violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Aut ne Christus exequatur sententiam suam Evangelicam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; hospes eram, & non collegistis me. Quidquid his minimis meis non fecistis, mihi non fecistis.*

Resolutio ad Propositionem quartam.

1\. Hic naturalistæ cum Revelantistis luctantur, cùm illi asserant: *Ecclesia est in Statu Civili*: isti verò sustineant: Non, sed Status Civilis est in Ecclesia. Nihilominus veritas pro Revelantistis formaliter pugnat, contra materiales naturalistas. Etenim non à materialitate ista, quòd Ecclesia murata sit intra mœnia Civitatis, & non Civitas intra mœnia

Eccle-

Ecclesiæ, veritas desumenda est: ast à formali Civitate DEI, quæ est societas redempta à Christo, & fidelis suo Redemptori, ex vi regenerationis & adoptionis in filios DEI! Nam civitas DEI & Ecclesia ejus est Universus, & in hoc sunt Status Principum.

2. Et quantumvis sit spiritus in corpore, & non corpus in spiritu; spiritus tamen est qui vivificat & regit corpus, in lege vitæ & disciplinæ DEI, quò ad fidem & politiem: non verò è contra corpus regit spiritualia & civilia. Unde & Deus primò vocavit populum de servitute Ægypti, ut illi sacrificaret in deserto, & susciperet Legem testamenti tabernaculi, quàm ut lege politica pro Terra promissionis instrueretur; & priùs posuit præceptum serviendi soli Deo, quàm posuit præceptum: *Non occides* proximum.

Nec juvat dicere, quòd Religio revelata accessit ad religionem naturæ quia revelatio Religionis in Christo, fuit coæva Adæ, & spes in Christum fuit anima religionis naturæ in fidelibus DEI, adeò, ut status civilis ille tantùm esset sanctus, qui comitabatur, & sequebatur statum Religionis promissi Christi, ille verò ethnicus, qui sequebatur augures & divinos diaboli.

Igitur sicut naturale est, quòd corpus adaptatum est, ut cooperetur activo spiritui; ita status politicus est in statu Ecclesiæ, ut cooperator spiritûs esset, vitamque suam corporalem pro adaptata vitæ spirituali & subordinata in operando commetiretur, & conformaret. Quia omnis vitalitas formalis & animatio pro corporis vita à solo spiritu profluit; à corpore verò passivo nihil in spiritum fluit.

Jam ergo ad Propositionem quartam resultat parata veritas, quòd Ordinationes Ecclesiæ quæ influxum habent ad politicum, velut spiritus in corpus influit, nequit solus Princeps sæcularis absque cointelligentia & consensu Spirituali disponere recta ratione, 1. quia particulare in universali, non universale in particulari comprehenditur. 2dò. quia Ecclesiæ docenti Christus dixit: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi,* non verò utenti: 3tio. quia opera civilia debent accedere ad lucem, ut videantur an ex Deo & in Deo facta sint; non enim opera de luce, sed lux de operibus tenebrarum, ut Evangelium docet, judicat & discernit.

Repu-

Repugnans autem eſt Regno DEI, aſserere: quòd *Ordinationes Eccleſiæ ſecundùm Leges Regionis inſtitui debent: vel, ſi ſunt contra Leges Regionis, mutari; quia Eccleſia cùm non noſcat leges cujuscumque Regionis, ideo univerſales Eccleſiæ Ordinationes univerſaliter obligare nequeunt.* Etenim

1. Autne à Deo Regiones millenæ miſsæ ſunt, ut ponerent Leges, & docerent Eccleſiam de ſuis juribus particularibus: vel Eccleſia miſſa eſt, ut doceret omnes Gentes de Legibus voluntatis DEI univerſalibus, & de juſtitia revelata, & de correctione judicii terreni? Miſsa autem eſt Eccleſia ad Gentes cum utraque Lege DEI, Veteri & Nova, ſpirituali & politica revelata; ut unitas, & uniformitas in regendo & judicando populo DEI, ad pacem fraternam obtineretur. Sed

2. Quando? & ubi? & quomodo Deus dedit poteſtatem tribubus, regionibus, & principatibus terræ, ut ſibi liberè, & ſine Deo, directivas populorum & diſparatas conderent & multiplicarent in immenſum leges? Hanc enim farraginem legum, Deus nec per Moyſen, nec per Chriſtum noſse voluit, neque Chriſtus Apoſtolis notitiam earum, & conformationem impoſuit. Ideo & Eccleſia ad eas noſcendas non tenetur: Tribus tamen, & Regiones omnes, ad noſcendas & retinendas Eccleſiæ Chriſti Leges, abſque mutatione & repudiatione vel interpretatione earum, tenentur. Quia Eccleſiæ Docentis authoritas, eſt ipſius Chriſti authoritas: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.*

3. Si dicunt naturaliſtæ, quòd Ordinationes diſciplinariæ ab Eccleſia introduci ſolitæ, mutari & tolli per Principes debent, ſi ſtatui politico adverſantur: adulatoriè & falsò dicunt; Quia è contra, Status politicus, oblitus miniſterii DEI, ut miniſterium naturæ portaret, plurima adverſantia diſciplinæ DEI apud ſe introduxit, atque à primis Chriſti ſæculis legem ac diſciplinam Evangelicam, Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam violenter ſprevit: ſpernendo habitum & conſuetudinem reſiſtendi jejuniis, eleëmoſynis, Legationibus, pœnitentiis, ac moribus Chriſtianis, adversùs Ordinationes Eccleſiæ, Concilia, Canones, & Paſtoralia monita acquiſivit, & induit; & hucuſque juſtitiam pacis Chriſti atque reconciliationem in legibus revelatis multifariè excutit, adhærendo ratiociniis blandioribus

natu-

naturaliſtarum, & præſumptivis rationibus ſtatûs, & quaſi ſalutis civium; quanquam nullus Status politicus, ſeipſum abſque Deo, & Eccleſiæ Paſtoratu juſtificare, & ſalvare poteſt. Eſt enim partialis & individualis, reſpectu univerſitatis Eccleſiæ DEI.

4. Quæ enim aliquando Ordinatio Apoſtolica, Canonica, & Paſtoralis promanavit, ſi non dedit cauſam ordinandi aliter, vel adjutorium cauſæ, refragaria naturæ corruptio, & regina ejus polities, in Regionibus, & Civitatibus? De legibus mæchanicis, œconomicis, phyſico-medicis, & modalibus rerum expolitionibus ad uſum neceſſitatis corporalis, nulla ordinatio à Chriſto, nulla quoque ab Eccleſia prodiit, proinde nulla adverſatio. De Legibus tamen directivis charitatis, pacis, & juſtitiæ; de Legibus magiſtraticis, & judiciariis; de moribus & eruditione populi, ex quibus vitia, diſsenſiones, bella, lites, ac offenſa DEI ob difformitatem exurgunt: nonne ordinatio indies nova ob caſus novos, exigitur à Spiritu Eccleſiæ DEI? Attamen hæc à miniſterio politico, tanquam eſset adverſaria Statui civili, reſcinditur, ad beneplacita Principum reducitur, & ſpernitur. Licèt Chriſtus Legem diſciplinæ Evangelicæ claram pro ſua Eccleſia Directrice populi appoſuit, quam pro politie non appoſuit, ſed ad politiem obedientialiter expreſſit: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.*

5. Quapropter inferendum eſt à contrario: Quia Leges Regionum, multæ & difformes, ſecundùm Leges Eccleſiæ revelatas & ſtabiles, inſtitui ad regimen populi DEI debent: quia has quæque Regio ſcire, noſse, & amplecti, in conſcientia propter authoritatem Legislatoris altiſsimi obſtringitur, quæ ſi admittantur per politiem ut normales, Regnum DEI uniforme & pacificum in Chriſto Rege ubique exurget, & Fraternitas fidelium renaſcetur una per univerſum Regni DEI.

Emendet autem errorem naturaliſta, quaſi ob ignorantiam Legum unicuique Regioni ſingularium, Eccleſiaſticæ Ordinationes univerſales nequeant univerſaliter obligare. Equidem Petrus ignorans leges *Aſiæ*, *Bythiniæ*, *Phrygiæ*, *Cappadociæ &c.* fecit ordinationes ſuas per Epiſtolam in materia fidei, & morum: Nonne hæ univerſaliter obligant ad obediendum omnes illas Regiones Orientis? imò totam

Chri-

Christianitatem? Has & similes Ordinationes Paulus præscripsit Epistolis suis, ad *Romanos*, *Corinthios*, *Galatas*, *Thessalonicenses*, nihil interrogans de legibus municipalibus, imò prohibens: *Ne fideles judicarentur apud infideles.* Quid ergo? Nonne tenentur omnes fideles mundi parere his Epistolis & Ordinationibus Apostolicis, quas Ecclesia pro Canonicis & universalibus suscepit, & declaravit? Pariter de Ordinationibus Ecclesiasticis sentiendum est, si sint pro tota Ecclesia, quòd omnes Regiones Christianas, non obstante inscitia legum civilium particularium, universaliter obligent ad parendum. Partes enim suum totum, & non totum suas partes sequi necesse. Filii Patres imitari, & non Patres filiorum vias tenentur.

Resolutio ad 5tam Propositionem.

1. *Imperator, & Principes jurant pro defensione Ecclesiæ, & Religionis:* sed non jurant pro conservando tanto & tanto numero Cleri; quoniam non solus Princeps, ast & alii hæredes, & communitates fideles fundant Templa, ac de subsistentia Cleri ex decimis & censibus provident, ut commodum in cura animarum & Divinis habeant. Tota igitur Ecclesia utens pro docente Ecclesia contribuere tenetur non ex vi juramenti, sed ex pietate & justitia fovendorum operariorum, in vinea Domini necessariorum. Neque principis est ponere limites numeri militiæ spiritualis, sed ponere limites militiæ suæ corporalis, ne hæc exhauriat Regionem Christianam sine causa, operas, agrarias minuat, & cœlibatu innumero pagi depopulentur, simulque deficiat in terris obolus pro sacerdote.

2. Naturalistarum ergo est consulere Principi moderatam in Europa tota legionum conservationem, ex quo Principes Europæi fraternitate Christiana gloriantur; nec habent, nisi forsan adversùs infideles ethnicos, necessitatem sese armandi: ubi inter Christianos pax & justitia Evangelica, lites dirimere publicas, & æmulationes odiosas deponere, domi pro norma Gentium Principibus suadet.

3. Jam verò militia Cleri docentis ad numerum rudis populi commensuranda venit in Ecclesia DEI per Pastores, & Duces gregis; ut si mille pagi intra Regionem numerentur, saltim mille Presbyteri, totidemque Baccalaurei puerorum foveantur; cùm in civitatibus

majo-

majoribus longè copiosior numerus debeat provideri, ita, quatenus etiam pro faciendis Missionibus ad exteras gentes, ex Catholica Europæ Ecclesia (protegentibus & defendentibus Principibûs) Prædicatores Verbi DEI sustententur, mittantur, & revocentur: Hoc est enim opus charitatis ad Gentes, diffidentes, & incredulas, quod Christus solicitè inchoavit in sua Persona, & imposuit Discipulis: *Quærite ergo primùm Regnum DEI, & justitiam ejus... Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere: & fiet unum ovile, & unus Pastor.*

Resolutio ad 6tam Propositionem.

Noli mirari ingentem, qui parvus est, numerum Religiosorum. Si Pater cœlestis ut copias Regni DEI auxiliares pascit illos, si Christus ut eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, computat sibi illos; non officiunt Principibus, pro quibus orant: non Publico, quia plus passim relinquunt Patrimonii Familiis, quàm secum accipiunt: non privato, quia infirmi & moribundi eorum operâ & custodiâ sæpe utuntur: non Ecclesiæ, quia majestatem ejus & obsequium ex se augent; ideo charitate digni sunt, non exitio.

Si autem demeruerint, non Principis est eos tollere & destituere, sed Ecclesiæ, quæ eos instituit, ad ordinem quippe Hierarchicum etiam pertinent. Et ex Religiosorum cætu multi pro fide Martyres occubuerunt: Multi quoque Politiem civilem scientiis & Artibûs excoluerunt, eo suo infortunio, quòd postquam á Spiritualibus accepisset Publicum sapientiæ perfectionem, magistros suos ampliùs pro inutilibus reputat & dispergit tunc, quando jura tolerantiæ Dissidentibus ampliare constituit.

Resolutio ad 7mam Propositionem.

1. Erratis naturalistæ: quia à pari: Siquidem vovistis jejunare, & non vestiri purpurâ die sabbati: Itaque vobis alimenta illius diei, & vestimenta festiva auferri debent. Nullus inquam sacerdos, etiam Episcopus, habet in Bonis fundationalibus verum & proprium dominium, quia illa distrahere & alienare nequit, sed usu & administratione gaudet. Proprietas verò, & dominium fundationum pe-

nes Ecclesiam DEI, cui dicata res est, & penes Institutum commune ipsa custodia manet. Equidem pupillis quia lege vetitum est, atque invalidis dominari in bonis paternis: eritne recta consequentia, ut ipsis Fiscus auferat bona, & alimenta?

2. *Numerus Claustrorum* (dicitis) *plùs justô accrevit, & debet ad beneplacitum Principis minui, magnifica ædificia sæcularibus divendi*, &c. Intelligite semel carissimi naturalistæ: Claustra utriusque sexus, sunt carceres liberi, maximam utilitatem ædificandi politiem civilem adferentes, scilicet obedientiæ & patientiæ: ex qua rudes & liberi genii sæculares homines continuum exemplum hauriunt, quomodo non obstante suo libero arbitrio, obediendum est principi, & captivanda voluntas, ad subjacendum in patientia propter meritum coram Deo.

3. Ubi verò charitas Christiana fundavit & auxit Claustra, atque sæpe mammona iniquitatis ea ditavit, ut essent pro pretio peccatorum Deo dicata, & in tabernaculum pauperum spontaneorumque captivorum sacrata; quæro: An Charitas in uno & singulari Fundatore plùs justô processit, non habens legem prohibitionis, quia liberè opus decorum & ornatum, sine damno principis, & politiei palam comparavit & erexit? Cur ergo hodie Fundatores demortui de injustitia argui, pro Charitate damnari, utque sub hastam & spolium eorum labores & opera cedant, castigari debeant? Causa talis processûs contra mortuos indefensos, atque finis utilitatis justus, nondum in publico apparet: sola naturalistarum privatorum pugna quasi favore Principum, de Claustris certa videtur; ut charitas in Deum & Religionem non amplificetur, ac destructis Claustrîs, templa superstent in speluncas civiles.

4. Hæc nihilominus veritas fidelis est: Quòd DEUS Statu Ecclesiastico indiget propter animas, quando in Christo suo, & Apostolis, hujus status fundamenta ex amore supernaturali posuit. Statu verò politico, ut est propriè politicus, nunquam indiguit, eumque diluvio suô absorpsit. Quia status corporis ex peccato factus est mortalis, & in pulverem reducibilis; ideoque statui politico non est aliud fundamentum, quàm mortalitas & pulvis, atque temporanea operatio terræ. Si itaque naturalistæ pro hoc statu gla-

 dium

dium movent, & pugnant contra Statum Ecclesiasticum superna-
turaliter privilegiatum, & super Christo fundatum: Videant uti-
nam Principes Christiani, quia ab illusoribus luteis instruuntur,
& eluduntur: conferantque suum ministerium super solidiora fun-
damenta Ecclesiæ Christi, ut vana naturalistarum de statibus &
potestatibus pugna, & deceptio Principatuum terræ, velut pulvis
evanescat, & ad agriculturam convertatur. Non caro enim est mi-
nister status, sed spiritus.

5. Proinde directè naturalistas pro terrenis certantes admonuit in
Evangelio Christus: *Quid prodest homini, si mundum universum lucre-
tur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo com-
mutationem pro anima sua?* quatenus intelligerent: in quo pretio
est apud DEUM status mundi politicus: & in quo pretio esse de-
bet status animarum spiritualis? Etiamsi enim status mundi to-
tus poneretur in commutationem pro animæ statu, ille nihil est
in comparatione hujus, coram DEO & ejus Christo. Ideoque pu-
gnare pro statu mundi contra statum Ecclesiæ spiritualem: nedum
vanitas, sed & peccatum detrimenti est. Aut præferre statum
corporis, supra statum animæ, etiam vanitas, & peccatum contra
Evangelium est.

Ergo finiat Paulus Apostolus rem quæstionum inutilium, mo-
nens Epist. ad Tit. c. 3. 9. *Stultas autem quæstiones, & genea-
logias, & contentiones, & pugnas legis devita; sunt enim inutiles &
vanæ.* Quoniam homo tametsi rationalis, sed partialis est cogni-
tor sui status, neque naturaliter scit concupiscentiam suam li-
gare, neque peccatum sibi imputare, nisi velit pendere obedien-
tialiter, à Lege Dei expressa, sicut idem Apostolus *Rom.* 7. 7.
& *seq.* dixit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed
peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, ni-
si lex diceret: Non concupisces.*

Impedimentum unitatis tertium.

1. Hoc tertium impedimentum, quodnam est? Multitudo ecce Ma-
gistrorum legis naturæ, ob multitudinem jurium regionalium &
municipalium; necnon diversitas scholarum civilium: ob diver-
sitatem geniorum nationalium. Et hoc impedimentum nonne est

fatuum

fatuum & fatale? oſtendit enim evidenter non eſse unitatem imaginis DEI in genere humano, & non eſse unitatem rectæ rationis in operatione. Diverſitas quidem climatum, & diverſitas qualitatum terræ, ac ſpecierum, exigunt diverſitatem ſcientiæ experimentalis, ad œconomiam rectè pertractandam. Verumtamen hæc omnia non ſunt fundamentum licitæ diverſitatis ad condendas diverſas regiminis hominum leges, quanquam ſint fundamentum diverſas inſtituendi mæchanicas artes & regulas. Quoniam aliud eſt noſse & moderari varietatem elementorum, & elementatorum objectorum: & aliud eſt noſse regere & moderari unam ſpeciem generis humani, & unam imaginem rationis, ut ſe diverſam & diſpersam in vinculo morum ſocialium & juſtitiæ non videat, aſt in operatione virtutis, in unum ſenſum, amorem, & communionem legis coaleſcat.

2. Nunc autem vide Chinas, vide Jappones, vide Mogolos, vide Perſas, vide Turcas, vide Marrocos, vide Africanos, & Americanos, alioſque Incolas: ubique jus naturæ in regimine & moribus, aliter inſtituitur, aliter executioni mandatur. Vide demum Europæos Chriſtianos: etiam hi cùm habuerint à Chriſto unam ſcholam Legis Evangelicæ ſibi porrectam ad rectitudinem morum & juſtitiæ; unos Magiſtros, ad directionem & eruditionem, in omni virtute humana & ſociali; adamârunt more Gentilium, diverſitatem legum, & magiſtrorum legalium, & ſcholarum: ut Leges DEI si non abjicerent à Civitate, ſaltim impugnarent, & in dubium ſcandaloſè revocarent.

3. Ex hoc enim abuſu & impedimento, rarus civis eſt, qui ſibi complaceat, & meditetur in Lege DEI infallibili: omnes quaſi novitatibus ratiocinii humani incumbunt, mentes ſuas & memoriam confundunt, quæſtiones curioſas, in Teſtamenta & juſtitias DEI rectas liberè & abſque remorſu cordis excitant, ludibriis exponunt, atque rempublicam Chriſtianam applaudentibus miniſtris DEI civilibus, ad diſturbia, & expenſas inanes provocant; cùm tamen ſtatui politico in temporalibus, una ſchola phyſica, & ſcientia externorum, apprimè ſufficiat, ad rectum uſum corporalium.

4. Ideoque multum & ſatis multum pro gloria Imperii politici accedet

det ſelicitatis, ſi myſteria corporum, & ſecreta naturæ elementa-
ris inveſtigabilia phyſicè perſcrutari, atque per anathomicas o-
perationes revelata, ad certas & indubitatas regulas pro utilita-
te generis humani una vice poſt tot millia annorum reduci in
ſocietate civili faciat. Hoc enim ſtudium corporale nondum à
ſuis naturæ Magiſtris perfectum, & definitum manet, gloriamque
regiminis politici indefinitam coram Republica univerſi tenet.

5. Jam verò lex vitæ & diſciplinæ juſtitialis relinquatur Scholæ Di-
vinæ, atque Patri Spirituum Moderatori, qui nec fallit, nec
fallitur. Relinquatur inquam Miniſtris DEI ad directionem popu-
lorum in ſola lege & regula cœleſti vocatis & inſtitutis, ut hi, si
in ordine Apoſtolico & Sacerdotali poſiti fuerint, docere legem
& uniformiter illuminare: ſi autem in ordine regali conſtituti
fuerint, ſervare & uniformiter exequi legem in civitate ex offi-
cio ſtudeant, pro DEO & propter DEUM, non verò pro natura,
& propter naturam civilem.

6. Nam si ex una lege cœleſti ſola voluntas DEI pro imperio ponetur,
jam voluntates hominum pro obedientialibus, non verò impera-
tivis uniformiter ſtabunt. Quod ſi autem & jus naturæ pro im-
perio exponetur, atque voluntas naturalis: jam Lex DEI ſuper-
vacanea eſt, & voluntates hominum, quotquot ſunt, ipſæ ſibi
& lex, & imperium, & obedientia abſque DEI miniſterio ſta-
bunt, ſicut adusque in multiplicatis Regionibus ſe poſse ſtare
contendunt; niſi vi coactiva & ſervili obedire Principibus, con-
tra ſuam voluntatem ſtringerentur, quod non eſt civile, ſed ſervi-
le & animalicum.

7. Nullus quippe Noachita ex tribus filiis Noë Gentium propagatori-
bus, prævenit DEUM in recta ratione regiminis hominum, ſed
DEUS præveniebat eos. Si autem homo DEUM Præventorem ju-
ſtitiæ odit & repudiat, & quomodo Principem pro præventore
juſtitiæ ſuæ naturalis & gubernatore, amore proſequi & ſponte
audire, amplectique imperium naturale ſuadetur ex recta ratione?
Ubi non eſt recta ratio pro amplectenda Lege DEI in civilibus,
neque recta ratio alia invenietur pro acceptanda lege principis in
civilibus. Gratisque ſcholæ civiles ad docendam rectam rationem
inſtituuntur: Si ſcholæ Theologicæ & Canonicæ ex Lege DEI

rectam

rectam rationem civilem inſpirare & moderari non valent. Quoniam ratio juſtitiæ civilis non alia eſse debet, quàm ratio juſtitiæ DEI. Totus autem Decalogus Præceptorum DEI, non eſt alio fine poſitus, quàm ad inſtituendam & regendam Societatem Civitatis DEI in juſtitia.

8. Quapropter Scholarum & Magiſtrorum in legibus naturæ directivis extinguatur multitudo, ad pacem & unitatem ſenſuum conciliandam in ſocietate humana. Quia Lex ſacra ex quo omnia continet, neceſsaria ad ſufficientem rectæ rationis acquiſitionem & moderationem juxta voluntatem Altiſsimi, (illa enim unica lex eſt, quæ Pædagogum irreprehenſibilem, genealogicum, hiſtoricum, legalem, regalem, ſacerdotalem, ſapientialem, moralem, propheticum, & civilem agere poteſt, & veritas ejus æterna eſt) non reliquit locum & poteſtatem Judæis, ut aliis gentium legibus & judiciis, & gymnasiis implicarentur ob vanitatem eorum. Igitur & Chriſtianis non eſt eorum relictus locus, neque poteſtas uſurpandi: quoniam DEUS apud Iſaiam clamat 45. 29. & ſeq. *Ego Dominus loquens juſtitiam, annuntians recta. Congregamini, & venite, & accedite ſimul, qui ſalvati eſtis ex Gentibus: annuntiate, & venite, & conſiliamini ſimul.* Rex item David *Pſalm.* 70. de ſe teſtatur: *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius: Docuiſti me a juventute mea.* Et Pſal. 83. *Etenim benedictionem dabit Legislator.* & Pſal. 47. *Quoniam hic DEUS, ipſe reget nos in ſæcula.*

Impedimentum unitatis 4tum.

1. Quartum hoc & ſcandali plenum impedimentum eſt *Libertas conſcientiæ:* ſed in quo fundamento hæc Libertas conſcientiæ apud Chriſtianos vagatur? Per renuntiationem quippe in Baptiſmo abnegata eſt ut fomes ſuperbiæ, & alligata eſt ſolis Præceptis DEI, ut obediret non ſuo arbitrio, aſt arbitrio Salvatoris. Totum fundamentum hujus libertatis in civitate ſtatuitur: *Jus naturæ!* Quid eſt hoc Jus naturæ liberæ? Adverſùs enim leges Principis, non datur jus naturæ liberæ, adverſùs verò Leges revelatas DEI, qua ratione libertas naturæ ſtatuitur?

2. So-

2. Sola ergo iniquitas ſuperbiæ in DEUM, libertatem conſcientiæ ad Judæos ſi induxit, ut reſtricta lege DEI, in legibus gentium gentiliſarent, & ideo ceciderunt! Sola pariter iniquitas ſuperbiæ libertatem conſcientiæ ad Chriſtianos porrexit, ut retenta ſua lege naturæ, in ea gentiliſarent, & calcitrarent DEO, atque caderent, tanquam falſi Chriſtiani, quibus in Lege DEI nec verè judaiſare, nec verè Chriſtianiſare placet, aſt placet in mixtum & permixtum quid civiliter componi! Proh dolor! Libertas conſcientiæ Judæos fecit exules & vagos per terram: Cur ſimiliter eadem libertas conſcientiæ Chriſtianæ exulare de civitate non debet?

3. In quo exulare? Certè in ejectione sermonum, ſcripturarum, & librorum omnium, quos apoſtatica libertas conſcientiæ Hæterodoxorum, ad diviſionem unitatis fidei, Eccleſiæ, & legum Salvatoris, in Europam, alioque conſpiratione jurium naturæ introduxit! Nulli enim etiam Proteſtanti privilegium a DEO ſuper libertate conſcientiæ publica datum eſt, ut eam civitatibus deprædicet, atque obedientiam in ſocietate Eccleſiaſtica, conſequenter in politica, diſsolvat, & unitatem rationis Chriſtianæ diſpergat: *Qui non colligit mecum, diſpergit*, ait Salvator.

4. Nonne ſoli naturaliſtæ jactant, *quod omnia ſpiritualia pendent ab intellectu & voluntate, non a neceſsitate*? Leges omnes, ſcientiæ, & literaria opera, nonne pendent a ſolo intellectu & voluntate, tanquam partus intellectûs? Ergo hæc omnia intellectualia & ſpiritualia ſunt, quæ ſcriptîs, verbîs, librîſque comprehenduntur, & ad poteſtatem Religionis atque Eccleſiæ directè pertinent! Tradantur itaque a Principibus Poteſtati ſpirituali, & cum Typographis ſuis reſtituantur ſummo Sacerdoti Legis DEI: ut procedat ſuæ poteſtatis judiciô in malè prophetantes, ut dixit Jeremias c. 29. 26. *Dominus dedit te Sacerdotem pro Jojade Sacerdote, ut ſis dux in domo Domini, ſuper omnem virum arreptitium & prophetantem, ut mittas eum in nervum & in carcerem.*

Et ſic Libertas conſcientiæ, unitatis ſpirituum inimica de medio Europæ Chriſtianæ juſtè exulabit.

Impedimentum unitatis 5tum.

1. Hoc impedimentum maximum eſt, quia Regale, ſcilicet: *Bellorum & litium frequentia pro temporalibus.* Sciunt enim Reges & Principes Chriſtiani, magiſtratus & judicia civilia, pro negotiis ſubditorum inſtituere, pro ſuis verò regalibus neſciunt juſtitiam quærere, niſi in armis exercituum: & fraternitatem regalem, neglecta ædificatione Gentium infidelium, in ſanguine innocuo ſcindunt. Et hæc eſt juris naturæ poteſtas abortiva, quia præceptum Domini clarè obſtat: *Non occides, Non concupiſces: Non eſt enim DEUS diſſenſionis, ſed pacis*, etiam pro Collegio Principum.

2. Quia verò ipſa Fœdera offenſiva & defenſiva, Confœderationes & Reconfœderationes, Tractatus & Retractatus, Sanctiones Regales & Reſanctiones, occaſione limitum, proprietatum, & negotiorum regalium, politiem convincunt palam, quòd exinde civili ſocietati nihil felicitatis accedit, niſi ſola ruina ſtatuum, & abominatio deſolationis: Hinc evidens eſt, quòd bella & lites non veniant à recta & ſtabili ratione, ſed à jure gentili & abortivo.

3. Idcirco Archifraternitati regali Chriſtianorum Principum duo neceſſaria in regno Chriſti deſunt: *Unum*, ut habeant Collegium ſuum tanquam diœceſim unctorum Domini, & abſque uno ſummo Paſtore unitatis Legum DEI interprete ac miniſtro in officiis & moribus non maneant; *Alterum* neceſſarium: ut ſibi comitiale judicium & Tribunal regalis juſtitiæ in negotiis limitum & ſucceſſionum, atque commerciorum reciprocorum conſtituant, & mediante Paſtore, cauſas litium legales per judices Plenipotentiarios ſuos, toties quoties emergunt cognoſci in Europa, Chriſtianè dirimi faciant. Hoc juſtitiæ opus ſi viderint aliæ gentes, pro maximo DEI & naturæ miraculo agnoſcent, obſtupeſcent, & reſipiſcent clamantes: Verè in Europa *appropinquavit Regnum DEI. Fiat, fiat.*

Reliqua impedimenta temporalia.

Imò De temporis uſu inæquali.

1. Quàm flocci valeat in antiquis recta ratio, ut pro lege uſurpetur hodie abſque DEI revelatis: ſatis eſt in regulam & uſum temporis

civi-

civilem respicere ad naturalistas dedocendos. Inæqualis enim temporum calculatio, & usus ejus gentilis, non modicam inducit disparitatem, separationem, & diffidentiam. Quoniam ex hoc impedimento Gens una super aliam sese priorem tempore, seniorem, doctiorem, viciniöremque stirpi Adamiticæ & Noachiticæ, adeòque in Religione & gubernio civili se normaliorem securioremque esse autumat ac præfert, ut fraternitatem naturalem Gentium aliarum derelinquat & postponat.

2. Hinc ferè ubique gentium alia est regula, aliaque mensura annorum, mensium, sæculorum, & periodorum temporis, aliud Calendarium, aliæ Æræ, & Indictiones, aliud Calendarium Festorum, laborum, operumque civilium, atque alia ratio morum, & rectitudo rationis, juxta Chronologos. Qua difformitate posita, ubinam quæso philosophi & politici rationem humanam in temporalibus pro æquali, recta, & stabili, necnon pro universali directrice erigere ac instituere possunt? Tantò magis ubinam terrarum & temporum ante adventum Moysis & Christi Religionem naturalem pro recta & immutabili Principibus nostris naturalistæ reproducere & inculcare rationabiliter valent? non constat.

3. Interrogare Patres antiquos, & investigare dies antiquos Psalmista Rex jussit, sed non patres mendaces & alienos à regimine DEI, & à veritate revelata. Deus juxta *Genes. c. 1.* fecit duo *Luminaria magna, Solem, & Lunam*, præsides temporis, definitores diei & noctis, ac divisores tenebrarum à luce, juxta periodos cursûs & recursûs sui á Creatore statutas, quod natura alia non fecit. Ratio verò humana pro sua laborum partitione aliquid circa divisiones temporis imitata est ex his astris, pro suo commodo civili & sociali. Verumtamen ea ipsa astra, quæ rectitudinem rationis formabant & dirigebant in homine ad imitandam mensuram temporis, quantum de errore & imperfectione naturali antiquas gentes accusant? liceat ex Chronologis & Historicis attingere.

4. Præcipuæ temporis partes sunt tenebræ & lumen, nox & dies, juxta Genesim Creationis mundi: Eòq; processit Gentilium insania, ut has quoque partes inter numina referrent, atque nocti mactabant gallum, eò quòd cantu provocaret diem: Diei verò consecrabant

bant

bant equos desultorios, videlicet soli lucifero quadrigas, eò quòd definiret quatuor anni partes: Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemem, quas partes anni, quatuor appellârunt Horas, ab Hor, seu luce nuncupatas. *Vid. Agellium. lib. 4. Noct. Attic. cap. 12. Horat. lib. 1. Ode. 12. Isidorum lib. 18. originum. c 36.*

Horas deinde Ægyptii in duodecim diei partes dissecuerunt, eò quòd animal Serapi dicatum duodecies in die mingeret æqualibus intervallis: Ex duodenis duplicatæ sunt tandem horæ in viginti quatuor. *Vid. libr. 1. Saturnalium cap. 21. Macrobium.* Ex his hebdomadæ & menses, ex his anni, ex his ætates & sæcula mensuras suas, sed inæquales acceperunt. Interroga Ægyptium, aliter menses incipit & computat annos, quàm Hebræus; interroga Hebræum, aliter incipit & computat, quàm Armænus, Persa, & Arabs; interroga Græcum, aliter computat tempus, quàm Romani; interroga Romanos, aliter præ omnibus sua tempora civilia statuerunt & computârunt. Unde sæculum apud Plutarchum aliquando significat annum; Artemidorus autem sæculo tribuit annos septem, Heraclitus triginta, Verrius Flaccus centum & decem, Varro, & modò Scriptores omnes annos centum. *Vid. Joan. Berti. Breviar. Hist. Eccl: P. 1. Chronolog. Rudimenta. c. 5. 6. & seq:*

5. Quòd si ratio temporis, & Chronologiæ usus ubique alius tenaciter sustinetur: Nonne omnes veriùs in civitate naturali fallimur de recta antiquorum gentilium ratione? Et philosophorum atque politicorum sententias veteres si in scholis perscrutamur: Certè non pro identitate veritatis assequenda, bene tamen pro sonitu antiquitatis in civilibus audiendo, horas nostras & pretium laboris insumimus; ut sic Scripturis revelatis, & Ecclesiasticæ veritati de Temporibus antiquis, & usu eorum sacro, obnitamur cum Naturalistis.

Etenim quomodo moralitas ingeniorum conformis, ac virtutis insitæ uniformitas in civitate haberi potest, si hæc ex Scripturis sacris, & Legibus DEI primò principaliter non exquiratur, tanquam ex Duce prodromo rationis humanæ, ad unum sensum, & ad unam vitæ justitiam manuducente absque dolo?

6. Dura-

6. Duratio Cœlestium terrestriumque corporum in suo ordine, cursu, & disciplina elementari, sub uno Deo, & sub uno polo motore, atque simul vitæ œconomicæ & temporum Dispartitore & Provisore, norma esse debet universalis rationis humanæ: ut hæc ratio similem regulam temporis in ordinatione vitalium rerum æqualiter prosequatur, disciplinamque sui corporis civilem & politicam, conformiter ad uniformia superna gerat, & ubique curet. Etenim de his supernis Conditor Deus & Judex pronuntiavit *Gen: c. 1. 31.* ,, *Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum est vespere & mane, dies sextus.* Et Cap. 2. 1. *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.*

7. Epochas profanas introduxerunt gentiles Historici, unam & 1. Imperii Assyrici. 2. Excidii Trojæ. 3. Regni Argivorum. 4. Olympiadum. 5. Urbis conditæ Romæ. 6. Nabonassari Regis Babyloniorum. 7. Cyri Monarchæ Persarum. 8. Monarchiæ Græcorum. 9. Seleucidarum. 10. Subactæ à Romanis Judææ. 11. Æræ Antiochenæ. 12. Primi anni Juliani. 13. Cæsaris Augusti, sive Romani Imperii. 14. Æræ Hispanicæ. 15. & postremam Epocham Herodis magni. Ex quibus Epochis carum est meminisse antiqua, licèt vanum: quia hæc tempora, & eorum imperia evanuerunt, aut in alium statum prorsus à Deo immutata sunt; postquam venit Christus, positus in ruinam & resurrectionem multorum, ut regnum DEI in terris dilataretur, Æramque Christianam fundaret, in Anno mundi 4000.

8. Si autem Christus Apostolis respondit, dum quærerent ab eo, quando restitueretur Regnum Israël? *Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. c. 1. 7. Ideo Christianis satis est tempora mundi & ætates cognoscere & numerare, ex Operibus DEI in Scriptura sacra annotatis, ubi & Imperiorum, Regnorumque duratio ac eversio non obscurè innuitur, adeò, ut dum discordia inter profanos Scriptores de temporibus civilibus non cessat, fit necesse concordiam assequi ex Scripturis & Scriptoribus sacris, v. g.

Sex

Sex mundi ætates ante adventum Christi.

I.	A Creatione mundi ad diluvium Ann:	1656.
II.	A Diluvio ad Vocationem Abrahæ -	426.
III.	A Vocatione Abrahæ ad Exodum -	430.
IV.	Ab Exodo ad Templum - -	479.
V.	A Templo ad finem captivitatis -	477.
VI.	A Soluta captivitate ad Christum -	532.
	Summa annorum - -	4000.

9. Ubi ergo Calculatores temporum gentiles alii faciunt mundum æternum & sempiternum; alii originem ipsi tribuentes, durationem tamen ante Christum, ad decem millia annorum; alii ad viginti & ultra millia eidem in suis historicis Calendariis attribuunt: sicut prælaudatus Joannes Berti in suis Chronologiæ Rudimentis summariè refert: ibi illi certè non noverunt tempora & momenta, quæ Deus mundo præmisit & hominibus ex sua potestate: pariterque gentiles Reges non sunt assecuti rectam rationem legis justitiæ naturalis in civilibus & religiosis. Quia lex à diversitate temporum, & à mutatione regnorum, diversa, eventualis, & mutabilis vagabatur, sed nullibi fixit universalitatis pedem, quia nullibi principium ab universalitate naturæ supernæ petebat, sed à particularitate regnantium pendebat.

10. Ideo Collegium Principum Christianorum videat collegialiter, & judicet supra Epochata Imperia olim in suis naturalibus confusa, an illa non naturaliùs regnâssent, non naturaliùs regulâ temporum Divinorum usi fuissent, non utiliùs Reipublicæ mundanæ in rebus temporalibus profuissent ante Christum; si postposito marte & particularitate gloriæ suæ nationalis, ab universalitate Naturæ Cœlorum superioris principia universalia legislationis suæ derivâssent? Si pro unione Gentium fraterna leges uniformes toti rationi humanæ in æqualitate temporum & rerum comitialiter in universum providissent? Si porro Codices normales, saltim quatuor annuos, vernalem, æstivalem, autumnalem, & hyemalem à natura quatuor temporum solarium, cum lege & disciplina œconomica imitatos

et

& tranſumptos, in DEI nomine ad felicitatem & ſuſtentationem vitæ ſocialis mortalium communicâſsent? ac ſese veros Miniſtros DEI civitatibus terrenis præpoſitos comprobâſsent? Quod ſi illa Imperia diſperſerunt civiliter Gentes, Imperia Chriſtianorum utinam eas aggregent!

2dò De uſu rerum commercialium.

1. Leges œconomicas Civitatum utique jus Gentium commerciale conſequitur, quod jus univerſalitatem communicationis fraternæ inter Gentes denotat per ſe, ſed non obtinet; extenditur ad Regiones terræ & maris vocaliter, ſed non beatificat populos realiter; quia merces terrenæ & aquaticæ non veniunt ipſis, nec tranſeunt ab ipſis aliter quàm viâ ſervitutis publicæ: quantumvis hodie Reſpublica Gentium unitarum per univerſum dominans non appareat in terra & mari, qualis naſcente Chriſto apparuit, juxta teſtimonium Evangelicum Luc. 2. 1. *Factum eſt autem in diebus illis, exiit edictum à Cæſare Auguſtò, ut deſcriberetur univerſus orbis. Hæc deſcriptio prima, facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino.*

2. Diviſa vero Republica univerſali, quoniam repugnabat ſubjici Regno Chriſti, & redactâ à Deo in dominia & regna particularia, ut ſic faciliùs per partes obedirent Evangelio regni revelati: Jus Gentium univerſale infirmatum eſt, ut niſi vis ejus penes exempla ſervitutis commercialis & bellici, uſu gentili retineretur, non obſtante Regno DEI, quod advenit pro pace & juſtitia terræ, & pro Gentium vocatione ad legem promiſſionis & adoptionis ſuæ.

3. Itaque proſtant duo gravia impedimenta hujus juris ſocialis Gentium, quæ uſum commerciorum liberum, & obligationem mutuæ communicationis naturalem nedum præpediunt, ſed & palam infringunt. *Unum* eſt illud: *Religio falsa naturalis*, qua Principes populum ſuum teneri ſtudent, ut potiùs Throni ſui immobilitatem tueantur. Et ex eo converſationem, communicationem, commerciorumque uſum cum diſpari Gente, vel arduis conditionibus involvunt, vel palam fieri prohibent: ne fiducia & amicitia populi ſubditi erga ſuum Principem ab aliena Gente ſubvertatur. Hinc etiam pyraticæ artes & naves, ad ripas maris tolerari ſolent, ne Gens cultior ad barbaram libere libenterque accedat. *Alterum* impedi-

pedimentum longè gravius eſt: Impoſitio Theloneorum, Portoriorum, Pædagogiorum, & Gabellarum, ſuper evectione & invectione mercium, ſuper exitu & tranſitu pecudum, aliæque Cenſuum inſolitorum exactiones: quæ rectam rationem Juris Gentium pro falſa naturæ progenie demonſtrant, diſſipatricem verò ſocietatis nationum, ac prædatricem charitatis fraternæ faciunt.

4. Enimvero nonne ſatis oneris pro itinerante mercatore ſubire cum mercibus incommoda & pericula, ut ſuperflua commoda ſuæ Gentis ad alteram Gentem communicet & deferat, mutuamque vicem commodorum ab altera Gente ad ſuam Patriam referat ac reducat? Nonne vinculi naturalis eſt, indigentes hinc inde conterraneos neceſsariis providere, & æqualia æqualibus reddere: quin proviſor pro obſequio tranſitûs & reditûs ſui mulctis civilibûs plectatur? Et quomodo Lex Evangelica ſtabit: *Quod vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*? Vultis ut ſubminiſtrent vobis triticum, tanquam non habentibus: & vos ſubminiſtrate illis ſal veſtrum tanquam non habentibus?

5. Quid autem maximè repugnat juri naturæ, & juri Gentium fraterno, quàm illud ſuper mercibus onus, quô mercatorum conditio ad ſolvendum cenſum premitur, intuitu earum rerum, quas intra Patriam ſuam divendere & conſumere nequit, niſi corrumpantur & pereant: quas porro nondum taxatas, & ab emptore contractas, taxari pro publico miratur, lucrumque ſine lucro ſuo Theloneatori ſolvit? Nonne tunc primum decimamus meſsem, quando meſſis ex grano uno ad decuplum excreverit? Nonne Evangelium docet, tunc eſse faciendam rationem cum ſervis à domino, quando negotiantes quinque talentis lucrati ſunt alia quinque.

6. Primæ ſocietati hominum poſuit ab initio Deus legem communem & benedictam Gen: 1. *Creſcite, multiplicamini, & replete terram!* Creſcite, ſed in adjutorio ſociali: Multiplicamini, ſed in unione, non in diviſione: Replete terram, ſed in communicatione mutua terrenorum. Nullum autem portorium, pædagogium, gabellam generi illi Adamitico, aut Noachitico, aut Iſraëlitico ſuper fraterna ſocietate exigendam pro Ducibus generationum impoſuit; quia inter Familias unius ſpeciei & ſtirpis charitas obſequioſa non patitur exa-

ctio-

ctionem, sed inter generationes & generationes indigentes, necessitas necessitate, commodum commodo, servitus servitute per reciprocationem compensatur, ac per consumptionem productorum.

7. Si enim tu præparas vias pro commodo Civium tuorum in Regione tua, ut simul ad te eadem via, eodemque ponte, aut eadem ripa & aqua, fratres tui mercibûs onusti è longinquo terræ accedant: Nonne similiter & tu indiges accessu & recessu ad civitatem longinquorum fratrum tuorum, qui tibi tuisque rebus æqualia præstare naturaliter obstricti sunt, mutuamque servitutem pati jure gentium tenebuntur? Autne jus gentium, ideo gentium est, ut Gentes ad invicem se gravent: & non ideo ut se adinvicem sublevent, revisitent, & in vinculo amoris proximi consolentur? Quod satis est pro Publico utilitatis, si Publicum ex libero usu commerciorum reficiatur & ditescat in civibus suis: simulque pax & justitia ex mutua rerum & amicitiæ correspondentia pro publico Gentis patriæ resultet. Alias & Deo ipsi, qui materias mercium producit, auget, & conservat, communis exactio debetur, & tamen non fit.

8. Remittere solent politici negotiatorem vectigalibûs præaggravatum ad ultimos consumentes pro indemnisatione: sed quid juvat, quùm 1mò Negotiator, 2dò Consumens gravetur? Nonne uterque successivè depauperatur, & civitas fit mendicîs plena, Publicumque injustitia redarguit pro mendicis & egenis: quòd ex causa vectigalium immoderatorum, tam negotiator cadit ob carum mercis pretium, quia consumentes diu expectat: quàm ultimus consumens deficit, quia cogitur persolvere, & foralia, & vectigal & tributum, & mercis intrinsecum valorem, ad manus venditoris?

Exemplum præbeat Europæis Gens Japponica ex Relatis Authorum *Dorville & Köempfer* Europæorum: Quomodo, & quàm ignominiosè *Portugalli*, *Hollandi*, *Hispani* nostri societatem cum Gente illa Japponensi in commerciis circa annum 1640. læserunt, & lucra auri argentique immensa amiserunt, & non sine grandi peccato in exilium Religionis Christi, atque in excidium Missionariorum & Christianorum, acsi perfidorum & dolosorum apud illam remotissimam Æquoris gentem promeruerunt, eò quòd Mercatores Christiani, & suarum mercium venditores detecti essent nimis gravare

ultimos

ultimos illos Japponum consumentes, nimiaque auri lucra extorquere, contra charitatem & justitiam, quæ non erat fraterna & Christiana inter neoconversos judicata; quia æquitatem naturalem, eò fortiùs Legem gratiæ Evangelicam in commutatione, commodato, fœnore, & usuris, excedebat: aliterque Missionarii de virtutibus Christianis prædicabant, & aliter societas Christianorum mercantilis opere demonstrabat.

Conclusio pro Impedimentis.

Rex Christus quoniam assimilavit se, suumque *Regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum* Matth, 13. Quidnam docuit quæso patresfamilias, si non hoc, ut naturalia possessa distraherent à domo, & revelata abscondita ut thesaurum in terris utiliorem sibi compararent & præferrent? Ergo Collegium Principum, qui sunt Patresfamilias regnorum, id faciat pro Christo, ut Ministri DEI in temporalibus, removeant à suo regimine & usu principia quæsita naturalia, ut superficialia & minùs utilia: jam verò pro felicitate etiam temporali, comparent sibi Revelata, iisque innitantur, contenti sint in Consiliis,& acquiescant cum Ecclesia DEI.

Idem Rex Christus assimilavit *se, suumque Regnum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventa una pretiosa margaritâ, abiit, vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Matth: 13. Admirabile hoc commercium est; quia Creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine, in permutationem quasi nundinatoriam *largitus est nobis suam Deitatem*: & non solùm Deitatem, sed largitus est ad usum & suam Humanitatem corporalem, absque ullo theloneo, vectigali, & exactione extorsiva. Ergo & Collegium Principum Ministrorum DEI normam similem Commerciorum accipiat, quæ esset universalis pro Christiana Europa, & Gentibus.

CAPUT OCTAVUM.

Epilogus Sermonis Apologetici de Regno Christi.

§ I.

Actus ultimus: Quô Chriſtus in Cœnaculo Legem ſuam Disciplinariam, & ritum Miniſterialem poſuit.

1. *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens JESUS quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſset ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Joan. 13. 1.

En prævifa ſeparatio Chriſti á ſuis Miniſtris in Lege dilectionis eorum finali colligatur, & obfirmatur.

2. *Et cænâ factâ, cùm diabolus jam miſiſset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ: ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit: ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſset linteum, præcinxit ſe. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteô, quo erat præcinctus.* Ibid. v. 2. & ſeq.

En Judas miniſter opus facit diaboli! En altiſſimi Miniſtri Chriſti Ritus, & diſciplina externa, erga ſuos conſervos relinquendos in miniſterio mundi, tanquam baptiſmus miniſterialis!

3. *Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Reſpondit JESUS, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Ibid. v. 6. & ſeq.

En myſterium purificationis Miniſtrorum, primo Apoſtolico Miniſtro revelandum!

4. *Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei JESUS: Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ibid. v. 8.

En Myſterium lotionis eſt ad finem comparticipationis Miniſterii cum Chriſto!

5. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. Dicit ei JESUS: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Ibid. v. 9. & ſeq.

En

En ex lotione externa ad munditiem quoque internam proceditur, & immundities cordis in Miniſtris doloſis exprobratur.

6. *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua: cùm recubuiſset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis: ſum etenim. Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Ibid. v. 12. & ſeq.

En ſententia declaratoria diſciplinæ pro Officio Miniſteriali Chriſti, & pro mutua ad invicem in corpore & in anima Miniſtrorum compurificatione! En lex normalis: quomodo Officium Magiſterii, & Officium Dominationis in Chriſto, non eſt aliud, quàm humilitas & ſervitus, erga conſervos & miniſtros Regni DEI!

7. *Exemplum dedi vobis; ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis: Non eſt ſervus major dominó ſuo: neque Apoſtolus major eſt eo, qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.* Ibid. v. 15. & ſeq.

En Miniſtri delegati copia eſse debent ſui Delegantis in operando! En ſimul limites Miniſterii, ut intra poteſtatem Domini, nec ultra, procedat Miniſter, & ſervus.

Non de omnibus vobis dico: ego ſcio quos elegerim. Qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit. Ibid. v. 18. & ſeq.

En inter electos Apoſtolos, unus præſignatur mittendus, in Majoratu Chriſti, ad reliquos conſervos & concollegiales.

8. *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum. Quæretis me: & ſicut dixi Judæis: Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Reſpondit JESUS: Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequêris autem poſtea.* Ibid. v. 33. & ſeq. *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* Luc. 22. 21.

9. *Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſset ex eis, qui hoc facturus eſset. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſse major.* Luc. 22. 23. & ſeq.

En Officium Miniſtrorum, ſequi per extrema vitæ ſuum Delegantem in tempore ſuo! En ſimul quæſtio inter Miniſtros, de miniſtro traditore Domini, ac de majoratu Miniſterii.

10. *Dixit autem eis* (Jesus:) *Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Ibid. 25. & seq.

Animadversio gravis.

En dominatio gentilis non juxta Dominum cœli & terræ ministrare exponitur, & reformatur in Ministris Christi: ut more & exemplo Christi major Minister reputet se pro minore, & Præcessor Ministrorum sentiat se pro servo recumbentium. Quia in hac disciplina humili, Dominus & Magister Gentium sese exhibuit Christus.

11. *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ibid. v. 31

En Ministrorum contendentium de majoratu, tentatio fuit ex satana. En omnes tentantur in fidelitate, & pro sola fide Petri, ut non deficeret, oratio Domini fiebat!

12. *Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Ibid. v. 33.

En naturalis amor & animus primi Ministri pro defectibili in periculo recensetur, nisi ab alto roboretur!

§ II.

Allusio Legis ad omnem Ecclesiam ministrantem.

1. Quando Christus Dominus Ecclesiam suam ministrantem mundabat, & purificabat in lotione pedum evangelicorum, posuitque Legem disciplinariam suis Ministris dicens: *Scitis quid fecerim vobis? Et vos debetis alter alterius lavare pedes;* Quis non dicet officium hoc mutuum

inter

inter Comminiſtros Regni DEI ex debito Legis, & ex opere Legislatoris introductum fuiſse: ut authoritas, puritas, & communicatio miniſterialis reciproca ſervaretur?

2. Attamen miniſterium Confeſſionis Auguſtanæ, Helveticæ, Phocianæ, & alterius diſperſæ Eccleſiæ, eſtne quæſo de Miniſterio & Collegio Apoſtolico Chriſti? Si eſt de Collegio Apoſtolico: quomodo alter Miniſter lavat alterius pedes? quomodo ſe ad invicem purificant, ſese ſibi communicant, ſiquidem in diſſidia cum Romano-Catholico Miniſterio, & in Schiſmata nationalia abierunt? Siquidem abeuntes in diſſidia miniſterialis diſciplinæ, etiam miniſterium regale nationum ab eodem vinculo legis & diſciplinæ abſolvunt, & ſeparant?

3. Si neceſsarium fuit ſcandalum in miniſterio Judæ, in traditione & occiſione Domini: hæc neceſſitas cum diabolo devicto, & Juda ad væ æternum deſtinato, jam præteriit; jam ſcandalum ex ſorte mala miniſterii in Collegio Apoſtolico pridem evacuatum & expurgatum eſt per ſortem boni Mathiæ. Nunc autem ſi qui miniſtri Evangelici ſeparati non lavant ſe ad invicem, neque purgant, neque purgari volunt ab errorum maculis, & à ſua diſceſſione in partes; quomodo in vero miniſterio & Apoſtolatu Chriſti, ac in vera condilectione miniſteriali ſtare & perſeverare dici poſsunt?

4. Si poſt Hieruſalem pes Apoſtolicus & Evangelicus priùs Romæ, quàm alibi, fixus eſt: ibi & cœnaculum & lavatorium pedum fixum eſt pro Miniſtris Chriſti. Quare igitur miniſtri Evangelici ex Germania invitati Romam ante tria ſæcula non venerunt: ut oſtendiſsent greſsus ſuos, & pedes miniſteriales, an mundi ſint & puri in virtute Evangelii? aut quare ad Concilia miniſtrantis Eccleſiæ Romanæ non acceſserunt, ut lotionem & purgationem humilem, alter alterius Miniſtri in lege Chriſti confeciſset? Nonne illi veſtigia miniſtri traditoris apprimè ſequuntur, qui olim ſemel collegialiterque in uno cœnaculo lotus, accepta à Domino buccellâ illico ad adverſarios Domini diſceſſit, & redire ad Collegium Apoſtolicum, ut ampliùs relavaretur & repurgaretur, planè erubuit, maluitque in deſperatione perire, quàm pudorem ſuperbiæ coram ſidelibus Miniſtris deponere?

5\. Si denique miniſtris diſperſionis Caput miniſterii unum & ſummum inſupportabile eſt propter majoritatem: Nonne ſoli Apoſtoli de hac prælatione quæſtionem collegialiter in cœnaculo moverunt: *Quis eorum videretur eſse major?* Nonne hanc primitivam inter Miniſtros DEI quæſtionem Chriſtus decidit pro uno Servo ſervorum, & non pro omnibus ſtatuens Luc. 22. *Vos autem non ſic:* (puta ſicut miniſtri Gentium) *ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: Et qui præceſsor eſt, ſicut miniſtrator?* Ut ſcilicet ille major & præceſsor, primus lavaret aliorum pedes, extergeret, ac ſeſe in miniſtrando ad exemplum Domini humiliaret.

Unde ſi Petrus primò lavabatur à Domino, jam ille primus factus eſt ad incipiendam cæterorum fratrum in Eccleſia miniſtrante lotionem, & mundationem. Quia verò hic Petrus indignum ſe dixit, ut lavaretur à Chriſto, & ſubtraxerat pedes, donec audîſset ſententiam repulſionis à Miniſterio: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Et quomodo alii Eccleſiarum miniſtri, qui ſe dicunt Evangelicos, eandem ſententiam non verentur, quoniam partem ſuam cum Petra Apoſtolica in humili purgatione, ut Chriſtus juſſit, non reponunt: atque cùm ſe omnes in capita Eccleſiæ exaltâſsent, pedes ſuos à lotione Evangelica ſubtractos, convertere retro erubeſcunt ad primum lavantem?

§ III.

Alluſio ejuſdem Legis ad omne miniſterium in Regno Chriſti.

1\. Dicet nobis naturaliſta: „ Putaſne hanc Legem diſciplinæ revela„ tam afficere etiam miniſterium Regale, & Civile Gentium? „ Quare non debeat afficere omnes miniſtros, quos afficit officium & poteſtas miniſterialis Domini? Dicimus enim: Siquidem eandem Legem Chriſtus Rex, & tanquam præcipiens Magiſter, & tanquam Dominus dominantium poſuit dicens: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis: ſum etenim: Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis.* Si tandem eadem mandata, quæ fuerunt Apoſtolis impoſita, juſſit Dominus, ut docerentur eadem ſervare Gentes, *Matth. ult.* Si porro hæcce mandata Teſta-

men-

mentaria sunt, atque ex pactis DEI cum Adam, cum Noë, cum Abraham, cum Davide, in pactionem & benedictionem Gentium veniunt: Itaque ministerium Regale & Civile à lotione & purgatione errorum ministerialium eximi nequit in Gentibus, ubi per Christum in nova DEI Lege justitiam ministrare tenentur.

2. Equidem Christus reprehensivè dixit in Cœnaculo: *Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur:* Ut profectò Reges in Civitate gubernarent Gentes nomine Redemptoris, & non sua vi dominarentur; Ut, inquam, non quà benefici potestatem haberent in eos, sed quà servi Domini altissimi ministrarent illis. Etenim nec servus civilis major est Domino Redemptore, qui regaliter ministravit in mundo, & exprobravit patrifamilias domûs: *Aquam pedibus meis non dedisti:* cùm mulier lavaret lachrymis pedes ejus, quæ erat in civitate peccatrix. Quoniam hoc erat primum in missos DEI Ministros humilitatis atque pietatis officium, & homagium.

3. Cur autem à ministerio gentili processit Dominus ad ministerium Apostolicum Discipulorum inhibitoriè, dicens: *Vos autem non sic:* nisi ut, cùm Gentes in ministerio suo superbirent, Apostoli in suo humiliarentur pro norma Regum Gentium; ut & Regibus ad Christum conversis pariter diceretur in Regno DEI: *Vos autem non sic*, sicut Gentiles dominantur in populo?

4. Idcirco sicut Rex Christus ad mutuam inter se & Ministros suos condilectionem, & reverentiæ testificationem, humiliavit se ad pedes lavandos Discipulorum: Ita Ministri Sacerdotes ad mutuam inter se, & Reges conservos DEI ministerialem charitatis testificationem, ad abluendos pedes regales humiliare se debent; Reges quoque ut similia humilitatis exempla rependerent erga Comministros sacros more Christi. Quia in sinu horum ablutorum depositum Regni DEI locatum est: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut sedeatis super thronos duodecim.*

5. Quare tamen Christus nil quidquam simile & expressum in Evangelio disposuit de Regali Gentium officio, sicut de Apostolico & sacerdotali ministerio disposuit? Certè non ideo, (sicut naturalistæ volunt) quòd Servator ministerium & officium Regale reliquisset

circa jus & poteſtatem naturæ; Quia natura ſine Deo nihil eſt: Quia jus naturæ obedientiale tantùm eſt, ſicut Chriſtus in ſua Humanitate demonſtravit, & non directivum populi DEI & abſolutum. Omnes enim erravimus à recto in Adam, & omnes tantùm docibiles DEI ſumus.

6. Sed ideo, quòd miniſterium ſacrum in Regno DEI ſuper terram eſt ſubſtantiale ad Legum DEI, & Religionis exercitium, & propagationem: miniſterium autem Principum civile eſt, adjectivum, & merè diſciplinare; Quod ſi in ſola executione juſtitiæ DEI revelatæ ſteterit, ſatis eſt. Officium quippe aliud non tenet, quàm hoc ſingulare: ut populum redemptum in diſciplina DEI forenſi contineat propter Deum.

7. Proinde Herodi Regi adverſanti, multisque ſermonibûs regaliter interroganti JESUS nihil reſpondit. Pilato verò Judici poteſtatem crucifigendi imperialem, & dimittendi Jeſum à morte jactanti respondit JESUS: *Non haberes poteſtatem in me ullam, niſi tibi datum esſet deſuper*: Ut ſic JESUS ad ſuperna provocans, poteſtatem naturæ regalem ad occidendum vel liberandum hominem, in Pilato denegaret. Equidem hæcce poteſtas naturæ ab eodem Chriſto pro impacifica & inſtabili inter Gentes evangelicè declarata eſt Luc: 21. 10. *Surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnum. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, trahentes ad reges & præſides, propter nomen meum.*

Itaque diſciplina miniſterii naturalis & civilis, niſi pendeat à Miniſterio ſacro, ipſa ſibi adverſa eſt in Regno DEI, & æmula adversùs Chriſtum ejus. Quod abſit.

Ad Majorem DEI Gloriam.

INDEX

INDEX GENERALIS

Materiarum in hoc tripartito Opere comprehenſarum.

PARS I.

CAPUT I.

De Contradictionibus Naturaliſtarum.

CAPUT II.

De Externis & Præliminaribus Naturæ dignoſcendis.

CAPUT III.

De Officiis hominis in genere, quæ DEUS tum animæ tum corpori ad agendum impreſſit, tanquam fundamenta materialia imperii ſpiritualis & corporalis, in natura.

CAPUT IV.

De Exemplis vetustis Regum naturalisantium.

PARS II.

CAPUT I.

De Natura Regni Christi.

CAUT II.

De Præstantia Originali, & veteri dominio Regni DEI in Christo.

§. VI.

CAPUT III.

De Potestate Regni DEI plenè translata ad Christum.

CAPUT IV.

De Formalitatibus constitutivis Regni Christi, quod est visibilis Ecclesia DEI.

CAPUT V.

De Forma generali, & Legibus Ministerii in Regno Christi, quod est DEI.

CAPUT VI.

De Formulis & Legibus positivis ac specialibus, pro Ecclesia docente à Christo datis.

CAPUT VII.

De Formulis substantialibus, & Legibus Religionis pro Ecclesia docente & utente in Regno Christi.

CA-

CAPUT IV.

De Contradictoribus Regi & Regno Christi.

CAPUT V.

De Ministerio & officiis Principum Civilium, quæ ex potestate Regni Christi assumi debent.

CA-

CAPUT VI.

De mutuis Officiis Ministrorum DEI Spiritualium & Civilium.

CAPUT VII.

De Impedimentis Unitatis à Regno DEI removendis.

Ter.

CAPUT VIII.

Epilogus Sermonis Apologetici de Regno Chriſti.

ERRATA CORRIGE

Pag.	35.	v.	14. Fædorum *lege* Fœderum.
	37.	v.	29. in jura *lege* in jure.
	74.	v.	22. Oſtendita *lege* oſtendite.
	97.	v.	22. Appoſita *lege* appoſitæ.
	107.	v.	27. 10. - *lege* 20.
	134.	v.	11. Politici - *lege* Politiei.
	155.	v.	15. Naturalium *lege* Natalium.
	191.	v.	9. Politici *lege* Politiei.
	201.	v.	17. gudere *lege* gaudere.
	205.	v.	30. Et quidem *lege* Eſt quidem.

Siquæ porro ultra hæc obſervaveris menda typi, benigne Lector, dignaberis per gratiam tuam parcere; hæc enim etiam poſt maximè accuratam correctionem contingere ſolent.